AN. LXXXV SERIES VII FASC. II. AN. 1960

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

PRAESIDENTE
E.mo Card. **Arcadio Larraona**

MODERANTE
FLORENTIO ROMITA, a Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Promotor. Fidei S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Secretario Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Secret. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Pro-Datario — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Secr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C^i — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 674.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 673.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 13 - VIII - 1960.

† BLASIUS MUSTO
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIP. EDIT. M. PISANI - ISOLA DEL LIRI - 1960

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

LITTERAE APOSTOLICAE PII PP. XII: S. Dominicus Savio caelestis puerorum cantorum patronus eligitur. Die 8 jun. 1956. (And. F. ROMITA) . . . . . Pag. 197

Sacra Congregatio Consistorialis:

Decretum de facultatibus et gratiis pro America Latina et insulis Philippinis, die 8 aug. 1959. (Adn. † J. FERRETTO) . . . . » 220

IURISPRUDENTIA S. ROMANÆ ROTÆ ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

S. Romana Rota.

Coram R. P. D. Petro MATTIOLI, Ponente. Nullitatis matrimonii. (*De exclusione boni sacramenti et boni prolis*). Sententia definitiva diei 1 junii 1956. . . . . » 273

Tribunal Quebecense-Trifluvianense:

Coram R. P. D. HENRICO GRENIER, Ponente. Nullitatis matrimonii. (*Ex capite amentiae ex parte mulieris*). Sententia diei 10 junii 1959 . . . . . » 279

STUDIA ET CONSULTATIONES

Bender, L. Error communis et potestas delegata ad actum. . . » 291

IUS ECCLESIASTICUM

ITALIA. Ancora in tema di criterio equitativo nella determinazione della retribuzione agl'Insegnanti di scuole non statali. Sentenza della Corte d'Appello di Roma dell'8 aprile 1960. (Istit. S. Dorotea - c/ Libori). (Ann. S. SPADARI) . . . . . » 309

RECENSIONES

Cor Jesu, Commentationes in Litteras Encyclicas Pii PP. XII. « Haurietis aquas » (PARISELLA, I.) . . . . . » 319
S. BONAVENTURA DA BAGNOREGIO. *Opuscoli mistici.* Nuova traduzione a cura dell'Ed. Vita e Pensiero. (A. L.) . . . . » 320
PECCI, G. *La pratica dell'umiltà* (GREGNANIN, A) . . . . » 322
FOURREY, R. *Il Curato d'Ars.* (R. S.) . . . . . » 323
BAZELAIRE. L.-M. de. *Les laïcs aussi sont l'Eglise* (NOIROT, M.) . » 324
GUINDON, B. *Le serment: son histoire, son caractère sacré* (NOIROT, M) . . . . . » 324
GIACON, B. O. F. C. *Tributi e Previdenza. Guida per gli enti ecclesiastici e religiosi.* (COPPOLA, R.) . . . . . » 325

DOCUMENTA

MONTINI, G. B. Card.: *Religione e Lavoro* (Discorso tenuto a Torino il 27 marzo 1960 agli operatori del mondo del lavoro). » 329
Il. *Originalità delle A. C. L. I.* (Discorso tenuto il 6 dic. 1959, durante la S. Messa celebrata per i partecipanti al Congresso Nazionale delle A. C. L. I. . . . . » 347

CHRONICA

Acta Ioannis PP. XXIII. . . . . » 355
Acta SS. Congregationum . . . . . » 363
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

LITTERAE APOSTOLICAE

SANCTUS DOMINICUS SAVIO, CONF., CAELESTIS PUERORUM CANTORUM PATRONUS ELIGITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Carmina sacra argutis modulantes vocibus, pueri efficiunt ut, dum christiana Templa festivis eorum resonant cantibus, audientium animi flectantur et ad incorporalia erigantur, ad caelestia. Quam ob rem Apostolica haec Sedes huiusmodi choris nullo non tempore magnopere favit, ac Nosmet Ipsi praecipuo amore complexi sumus « Pueros Cantores », cum, paucos ante annos in Petriana Basilica Nos circumfluentes, gratissimos tollerent sonos in tholum Bonarrotianum. Quorum Praesides, ad XXVI pertinentes Nationes, non ita pridem conventum agentes, expetivere, ut Sanctum Dominicum Savio, qui, Divo Ioanne Bosco magistro usus, divinas laudes, religionis diligens, canebat, caelestem apud Deum Patronum iisdem constitueremus. Quibus precibus, Dilecti Filii Nostri Mauricii Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Feltin, Archiepiscopi Parisiensis, commendatione suffultis, Nos, qui puerum illum, suavissimum atque candidi lilii fragrantem odore, ad Beatorum Sanctorumque provehendo honores, universae iuventuti proposuimus ad imitandum, libenti animo statuimus obsecundare. Quae cum ita sint, Nos ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Dominicum Savio, Confessorem, caelestem apud Deum *Patronum* « Puerorum Cantorum » eligimus et constituimus, omnibus adiectis honoribus et privilegiis liturgicis, quae coetuum seu ordinum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam se-

cus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Iunii, anno MDCCCLVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

(*A.A.S.*, vol. 40, (1957) pp. 199-200).

ADNOTATIONES

SUMMARIUM: Pueri cantores: origines 1. - ...in cultu pagano... 2. - hebraico... 3. - et christiano 4. - Pueri cantores sub respectu theologico, liturgico.. 5. - et historiae musicae sacrae 6. - Abusus « Episcopatus Puerorum » 7. - Decadentia propter eunuchorum adventum in choros 8. - Restauratio Puerorum Cantorum per S. Pium X et Laurentium Perosi 9. - « La *Manecanterie des Petits Chanteurs à la Croix de bois* » 10. - Pueri Cantores sub respectu juridico 11. - Patronatus S. Dominici Savio 12. - 13. - Privilegia liturgica 14.

1. - Origines ac naturam iuridicam perscrutari cupientes mirae illius institutionis, cui nomen « Pueri cantores », quaedam notatu digna invenimus in religione pagana, hebraica et christiana quaeque hic innuere placet, tum ad desiderium, apud studiosos excitandum, ortum ac vicem eiusdem institutionis amplius ac profundius perquirendi, cum ad illustrandam peculiarem huius institutionis naturam in Ecclesia Catholica ex comparatione cum analogis factis in ceteris cultibus [1].

---

[1] Cfr. *Die Musik in Geschichte und Gegenwart*. Bärenreiter Verlag. Kassel and Basel. 1949.

GEBERT M. *De cantu et musica sacra a prima Ecclesiae aetate usque ad praesens tempus*. S. Blasii 1774. Vol. 2. (Habet textuum congeriem, qui tamen critice sunt perpendendi).

GEVAERT F. A. *La melopée antique dans le chant de l'Eglise latine*. Gand 1895.

GASTOUE' A. *Les origines du chant romain*. Paris 1908.

QUASTEN J. *Musik und Gesange in den heidnichen Kulten der Antike und im Christentum der ersten Jahrunderte*. Melle 1927.

— *Musik und Gesange in den Kulturen der heidniches Antike und christlichen Frühzeit*. Münster 1930.

— *Initiation aux Pères de l'Eglise*. Paris, Le Cerf 1955. (Haec tria opera J. QUASTEN, critice exarata, sunt quam maxime attendenda).

2. - In perantiquis libris Sybillinis (436-431 a. C.) dispositum fuit ut pueri ac puellae in choro canerent.

In festis, quae « Hyacinthia » vocabantur quaeque in Laconia celebrabantur (479-390 a. C.), pueri tunicis succinctis cetram modulabantur atque tibia comitante canebant numero anapestico. In celebrandis Soteriis (festum institutum ad victoriam commemorandam, quam Aetoli super Celtos consequuti fuerant, unde sanctuarium delphicum a barbarorum incursione servatum fuerat) musici agones tenebantur, quibus inter alios pueri etiam partem habebant.

Ipse Callimacus in suo hymno ad Apollinem, frequenter alludit ad puerorum cantum [2].

Partecipatio puerorum et puellarum hymnum canentium memoratur in ludis saecularibus (a. 220, 190, 108 a. C.). Ita in ludis saecularibus Augusti (a. 17 a. C.) Carmen saeculare, ab Horatio Flacco compositum, cantantum fuit a 27 pueris totidemque puellis. Idemque evenit occasione consecrationis Mausolaei ipsius Augusti.

In ludis saecularibus a. 204 p. C. pueri praetextam induentes, puellae vero palliolum acu comatoria defixum, canebant manibus sese tenentes. Carmen autem bis modulabantur: in Palatino et in Capitolio. Post alteram carminis modulationem locum habebat lusus Troiae seu hastiludium puerorum equitantium.

Ambarvalium occasione a. 270-275 p. C. ita pontifices poëta exhortabatur: « patrinis matrinisque pueris carmen indicite ».

Plures allusiones ad puerorum cantum inveniuntur in carminibus convivialibus, in epithalamiis, in feriis videmialibus, in introductione equi lignei in Troiam urbem, in honoribus Caligolae tributis etc.

Parum scimus de puerorum cantus in cultibus orientalibus; imo in extremo Oriente pueri ac puellae ad recentiora usque tem-

---

— *Dictionnaire d'Archeologie chretiènne et de Liturgie* (v. *Chantres; Musique*).

Gerson E. - Kiwi. *Musique dans la Bible* in *Dictionnaire de la Bible*, ed. Pirot, suppl. t. V, 1411-1448.

Werner E. *The Sacred Bridge*. London 1959 (pro musica judaica).

Andrieu M. *Les « Ordines romani » du haut moyen âge*. Louvain 1931-1951.

— *Les Ordres mineurs dans l'ancien rite romain* in *Revue des Sciences religieuses* 1925, V.

Erman-Rauke. *Ägypten und ägyptiches leben im Altertum* c. IX.

Gindele C. *Doppelchor und Psalmvortrag in Fruhmittelalter* in *Die Musikforschung*. 1935, VI.

Wilson H. A. *The Gelasian Sacramentary*. Oxford 1894.

Corbin Solange. *L'Eglise à la conquête de sa musique*. Paris Gallimard, 1960.

[2] Cfr. vv. 8, 13 s, 16-18, 34 s., 113.

pora incapaces censebantur ad cantus artem atque praxim rite excolendam.

In cultu vero mahometano notitia habetur de pueris cantoribus, quibus tamen praevaluerunt eunuchi, ut in multis moris erat apud orientales.

3. In Veteri Testamento, si satis multae sunt notitiae circa ordinem musicae sacrae in genere, praesertim a David ad Ezechiam usque, desunt vero documenta quae ad pueros cantores specifice pertinent. Levitae enim tantummodo viginti completis annis ad coeremoniarum atque sacri cantus tirocinium admittebantur; et quoniam praeparabantur per quinque fere annos, quindecim sc. annos agentes, « pueri » appellari nequeunt.

Verum quidem est saepissime in psalmis inveniri exhortationes ad pueros ut Domino canant hymnum laudis.

Scimus etiam pueros hebraeorum, occasione triumphalis ingressus Christi Jesu in Jerusalem, Eidem festive cecinisse.

Attamen in his aliisque similibus agebatur non de actibus cultualibus, sed extra-cultualibus seu popularibus vel religiosis. Quare, in culto tam pagano quam hebraeorum ante C. n., pueri ac puellae partem quidem habebant in cantu sacro ac religioso; attamen nescimus quodnam fuerit eorum munus sub respectu sive cultus quam artis.

4. - Post Christianismi adventum vero pueris cantoribus munus concreditum fuit magni momenti tam theologice ac liturgice quam musice ac aesthetice.

Ut referunt « Ordines Romani », dum « lector » esse non poterat nonnisi « clericus jam legitima aetate constitutus » (seu 18 annos saltem agens juxta Novellam 123,3 Iustiniani), « cantor », etsi puer, partem in clero atque sedem in presbyterio habebat.

Ita, perantiqua inscriptio in Bythinia (II-III saec.) juvenem commemorat anno 18 vita functum, qui populum Dei laetaverat psalmorum cantu atque librorum sacrorum lectione [3]. Iuxta sepulchrales inscriptiones (jam. a saec. II) cantores erant iuvenes 16, 18, 20, 25 annorum. Imo quidam loci v. d. « Mertola » (in Lusitania), alter loci v. d. « Atripalda » et Severus loci v. d. « Viviers » 13 erant annorum, atque Vitalis lector in Africa vita functus anno quinto aetatis suae. Demum in Martiriologio commemorantur plures lectores infantuli [4].

---

[3] Cfr. Righetti, *Storia liturgica*. Vol. IV p. 271-274.

[4] Cfr. Josi R. *Lectores - Schola cantorum - Clerici* in *Ephemerides Lit.* 1930, pag. 282-290.

Iuxta traditionem Isidori Diaconi, Gregorius Magnus romanam Scholam Cantorum instituit atque dotavit eidem tribuens « duo habitacula, sc. alterum sub gradibus basilicae beati Petri Apostoli, alterum vero sub Lateranensis patriarchii domibus », ubi usque ad Ioannis Diaconi tempora servabatur flagellum, quo Pontifex pueris cantoribus minabatur.

Ex alio documento posteriore scimus quomodo seligerentur pueri cantores; etenim in « qualicumque schola reperti fuerint pueri bene psallentes, tolluntur inde et nutriuntur in schola cantorum » [6].

Praeferebantur autem orphani (unde eorum habitatio dicta fuit « orphanotrophium » [7]), inter quos Sergius II, qui, cum orphanus tenera aetate remansisset, receptus fuit a Leone III: Ipse « scholae cantorum ad erudiendum communes tradidit litteras et ut mellifluis institueretur cantilenae melodiis » [8].

Praeterea in opere, cui nomen « *Peregrinatio Sylviae* » (saec. IV.), describitur cultus in urbe Jerusalem peractus. Ibi quotiescumque diaconus ad « Memento » Missae nomen aliquod pronuntiabat, magnus puerorum numerus ibi adstantes, respondebant « Kyrie eleison »; « quorum voces infinitae sunt ».

Item Hippolitus Romanus refert quod, post agapem, virgines et pueri orabant antequam canerent psalmos. Itemque S. Germanus Parisiensis narrat tres pueros in Missa respondisse hebraice, graece ac latine invocationi « Kyrie eleison » Missae.

Fortunatus autem Pictaviensis affirmat in divinis officiis omnes cantasse Parisiis: clerus, communitas fidelium, pueri [9].

5. - Si quis vero quaerat qua ratione pueri cantores inter clerum partem haberent atque in presbyterio sedem mererentur, respondeo dicendum quod cultus catholicus est quaedam participatio cultus Angelorum, qui praesentes sunt in ipso cultu catholico ac praesertim in cultu officiali Ecclesiae, seu in cultu liturgico [10]. Pueri autem cantores modo eminenti (ne dicam unico) in memoriam revocant participationem Angelorum cum Liturgia terrestri, atque inter Angelos ac pueros cantores affinitates seu analogiae multae sunt, ita quidem ut pueri cantores dici possint repraesen-

---

[5] I. Diaconi *Vita Gregorii*. Lib. II c. 6, Patr. Lat. vol. LXXV, 90. Huiusmodi autem traditionem hodie non pauci critice impugnant.

[6] *Ordo IX*, edit. Mabillon, p. 89.

[7] Cfr. *Liber Pontificalis*. Ed. Duchesne, II p. 92, n. 18.

[8] Cfr. *Liber Pontificalis*, cit. II, p. 86.

[9] Cfr. Corbin Solange o. c. p. 170 s.

[10] Cfr. Peterson Erik, *Le livre des Anges*. Desclée de Brouwer. 1953.

tantes Angelorum in sacra Liturgia atque ideo inter clerum partem habeant et in presbyterio sedem mereantur. Hinc jure meritoque Ecclesia pueris cantoribus verum munus liturgicum concredidit, ut infra dicetur.

6. - Si sub respectu theologico ac liturgico pueri cantores notabile habent momentum, sub respectu historiae musicae sacrae iidem clarissimum consequuti sunt splendorem, quatenus sive instauratio ac restauratio musicae sacrae sive eiusdem reformatio ac progressum miram praeseferunt concordantiam cum paribus vicibus huius institutionis.

Iam diximus de Romana « schola cantorum », cuius ope saeculorum decursu sacra cantilena ad nobilissimam artis dignitatem evecta est atque foecunda posuit germina polyphoniae classicae ac modernae musicae.

Guido autem monachus Arretinus [11] musicam artem pueros scholae cathedralis juxta novam suam methodum prospero cum successu docuit. « Satis habet miraculi et optionis — ipse scribit ad Ep.um Theobaldum — cum vestrae Ecclesiae etiam pueri in modulandi studio perfectos aliorum usquequaque locorum superent senes... » [12]. « Coepi inter alia studia — explicat Guido — musicam tradere pueris. Tandem adfuit mihi gratia divina, et quidam eorum imitatione chordae ex nostrarum notarum usu exercitati ante unius mensis spatium invisos et inauditos cantus ita primo intuitu indubitanter cantabant, ut maximum spectaculum plurimis praeberetur [13] ». « De quo si quis me mentiri putat, veniat, experiatur et videat, quod tale apud nos pueruli faciunt [14] ». « Habebis ergo — instat Guido — argumentum ad inveniendum inauditum cantum facillimum et probatissimum... Postquam hoc argumentum cepi pueros tradere ante triduum quidam eorum potuerunt ignotos cantus leviter canere » [15].

Hinc Theobaldus, episcopus Arretinus, Guidoni monacho mandavit ut disciplinam artis musicae describeret in libello, cui nomen

---

[11] Cfr. Smits van Waesberghe Jos. - *De musico-paedagogico-theoretico Guidone Arretino eiusque vita et moribus*. L. S. Olschki — Florentiae 1953. Pag. 14 ss. — Idem edidit: *Guidonis Arretini Micrologus*. American Institute of Musicology. 1955; pag. 83 ss.

[12] *Ep. ad Theobaldum* — Cfr. Smits van Waesberghe Jos. — *De musico* etc. p. 14.

[13] Cfr. Smits van Waesberghe Jos. *Micrologus* o. c. *Prologus* p. 85.

[14] *Praefatio ad Antiphonarium*: cfr. Smits van Waesberghe Jos. *De musico* etc. p. 14.

[15] *Ep. ad Michaelem*: cfr. Smits van Waesberghe Jos. *De musico* etc. p. 14.

fuit « Micrologus », quique ex habita experientia cantum docendi pueros exordiisse dicendus est.

Fama vero puerorum cantorum Guidonis Arretini ad aures pervenit papae Iohannis XIX (1024-1033). Guido autem ter invitatus ut Romam veniret, tandem Pontificem convenit, qui — uti ipse Guido scribit — [16] « meo gratulatus est adventu, multa colloquens et diversa perquirens: nostrumque velut quoddam prodigium saepe revolvens antiphonarium, praefixasque ruminans regulas, non prius destitit, aut de loco, in quo sedebat, abscessit donec unum versiculum inauditum sui voti compos edisceret, ut quod vix credebat in aliis, tam subito in se recognosceret » [16].

In Liturgia autem Ambrosiana Responsoria sic dicta « cum infantibus » habebant melodias melismaticas, quae magnam requirebant artis peritiam, quasque nihilominus — ut ipsa eorum designatio innuit — pueri cantores exequebantur [17].

Si quis vero historiam investiget Scholae cantorum vel musicae Cappellae Ecclesiarum Medio Aevo ad saec. XVI usque, ibi pueros cantores inveniet, qui non solum partem Cantus in poliphonia, sed etiam gregorianum cantum modulabantur.

In ecclesiis quoque monasticis, praesertim benedictinis, pueri cantores non solum ad musicam exsequendam in choro partem habebant, sed etiam in communitate tamquam oblati. In ipsis ecclesiis religiosarum, in liturgia ambrosiana, aderant pueri cantores [18].

7. - Attamen non est credendum quod pueri cantores, quamvis ad tantam evecti essent dignitatem liturgicam atque musicam, naturalem amitterent suam vivacitatem. Iidem enim, occasione Festi SS. Innocentium vel S. Nicolai vel S. Ceciliae, solebant — et in Hispania adhuc solent — propriam agere celebrationem, quae nomen habuit « *Episcopatus Puerorum* » Eligebatur namque, regulari scrutinio, qui optimus inter eos reputabatur, eidem symbolice conferebatur episcopatus cum sollemni intronizatione coram omnibus chori cantoribus. Aliquando parvus episcopus statura tam pusillus erat ut necesse esset eum e terra tollere atque in stallum collorare.

Haec autem celebratio, in quibusdam locis, in ipsa ecclesia peragebatur non sine clamoribus atque irreverentiis. Quapropter

---

[16] *Ep. ad Michaelem*: cfr. Smits van Waesberghe Jos. *De musico* etc. p. 18.

[17] Cfr. Moneta-Caglio E. *I responsori « cum infantibus » nella Liturgia Ambrosiana* in *Studi in onore di Mons. Carlo Castiglioni*. Milano, Giuffré 1957. Pag. 481-574.

[18] Cfr. Moneta-Caglio E. o. c. p. 498.

in Synodis ac Conciliis disciplinaria decreta edita ad hoc fuerunt [19].

In quibusdam monasteriis, die Festi « Episcopatus Puerorum » gubernium monasticae communitatis ab Abbate ad episcopum puerorum tranferebatur. Quae omnia explicari possent a goliardicis moribus tunc temporis, qui pueros etiam cantores contaminaverunt.

8. - Attamen gravius damnum institutioni Puerorum Cantorum illatum fuit ab introductione eunuchorum prius in cantum prophanum (ut hi vocem mulierum — quae antiquitus in theatro canere haud solebant — imitarentur) ac postea in cantum sacrum in substitutionem vocum puerorum. Huiusmodi abusus ab orientalibus regionibus proveniens, in Hispaniam penetravit atque Europam inundavit et Romam contaminavit, non exclusa ipsa Cappella Sixtina [20]. Huiusmodi abusui fortiter restitit S. Sedes ac in primis Benedictus XIV, addens: « ... neque vero impossibile esse eorum (sc. eunuchorum) vocibus alias, puerorum praesertim voces, ecclesiasticis choris magis apte subrogare » [21].

9. - Praedictum vero abusum eunuchorum tandem ab Ecclesia eliminavit adiuvante Laurentio Perosi musico praeclarissimo, S. Pius X, qui, dum Venetiis Patriarcha erat, pueros cantores prius in Cappella Marciana restituit, atque dein, ad Supremi Pontificatus solium evectus, in Cappella Sixtina sub ductu eiusdem Laurentii Perosi [22].

---

[19] Cfr. *Conc. Lugdunense* (1245): « Ut omne scandalum et ridiculum ab Ecclesia abscindatur, volumus et mandamus ut Festum Innocentium secundum morem et cultum aliarum festivitatum, quae per anni circulum celebrantur, per omnia reducatur; ita quod nec pueri in choro serta portare audeant, nec stalla in choro superiori tenere, aut alia huiusmodi agere, quae non decent ecclesiasticam honestatem... » (Mansi 23, 683). Cfr. etiam *Conc. Nivernense* (1246): Mansi 23, 731. Quoad Episcopatum puerorum cfr. *Conc. Saltzburgense* (1274): « Ad haec quidem ludi noxi, quos vulgaris elocutio Episcopatum puerorum appellat, in quibusdam ecclesiis exercentes adeo insolenter, quod nonnunquam enormes culpae et damna gravia subsequuntur. Et ipsis hos ludos in ecclesiis et a personis ecclesiasticis de cetero fieri prohibemus, nisi forte parvi sexdecim annorum et infra fuerint, qui huiusmodi ludos exercent, quibus alii seniores ipsis nullatenus se misceant aut intersint ». (Mansi 21, 142).

Quare potius contra clericos vagantes seu goliardos aut trutannos decreta edita dicenda sunt: cfr. *Conc. Trevirense* (1227): Mansi 24, 207. Videsis Aubry. *Cent motets du XIII siècle.* Paris 1908 - Vol. III.

[20] Cfr. Della Corte A. e Gatti G. — *Dizionario di Musica.* Torino 1945, sub v. « *Castrati* ».

[21] Cfr. Benedictus XIV — *De Synodo dioecesana.* Lib. XI, c. 7 § 1-7.

[22] Cfr. Romita F. — *Lorenzo Perosi e i Piccoli Cantori* in *Bollettino Ceciliano*, Marzo-Aprile 1957, N. 3-4 pag. 93-104.

Etenim S. Pius X, « instaurare omnia in Christo » satagens, a reformatione initium coepit musicae sacrae Motu Proprio, d. 22 nov. 1903, « *Tra le sollecitudini dell'officio pastorale* », in quo, inter alia, praescripta dedit de pueris cantoribus [23].

Praeterea ipse S. Pius X, cuius caritate « Panis angelicus » pueris etiam datus fuit [24], intimam videtur inter eosdem relationem statuere voluisse et angelismum S. Liturgiae, de quo supra innuimus, quemque Pueri Cantores praecipue repraesentant.

10. - Praescriptis obsequentes S. Pii X quidam pueri ac iuvenes parisienses anno 1907 associationem choralem formarunt, cui nomen « *La Manecanterie des Petits Chanteurs à la Croix de bois* » ut, Galliae civitates peragrantes, apostolatum exercerent musicae sacrae, quae notas sanctitatis, verae artis ac universalitatis a S. Pio X in cit. Motu Proprio definitas haberet.

« *Manecantarie* » a « mane cantores » nomen sumpsit, quatenus ita appellabantur in Medio Aevo pueri cantores.

Etenim, ut praeclare dixit die 8 Maii 1940 Pius XII: « Fin dal mattino della vostra vita voi imparate a cantare Dio, la Sua gloria e la delizia di servirLo. Perciò vedendovi — prosequebatur S. Pontifex — pensiamo a quel giovane Samuele, che, vestito con un camice di lino come voi, serviva davanti al Signore nel Tempio di Gerusalemme (I Reg. 2, 18) fra le nubi dell'incenso e l'armonia dei cantici » [25].

Et quoniam super pectus, uti speciale proprium signum, parvam Crucem ligneam ferebant, ideo dicuntur « à la Croix de bois ». Exortis vel consolidatis in Gallia pluribus huismodi associationibus choralibus, mense Novembri a. 1944 de facto instituta fuit eorundem Confoederatio, quam Conferentia Episcopalis Galliae approbavit d. 6 Martii 1947 [26].

Mense iulio (9-11) eiusdem anni celebratus est Parisiis I Congressus Internationalis Puerorum Cantorum, cui a. 1949 (diebus 19-24 mensis aprilis) successit II Congressus Internationalis Romae, et quidem in ipsa Basilica Vaticana, Missam celebrante S. P. Pio XII f. m. atque comitantibus tribus millibus Pueris Cantoribus. Posthac S. Pontifex Confoederationem commendavit hanc mittens epistulam:

---

[23] Cfr. *Motu Proprio* cit. n. 13: « ... Quod si acutae vel acutis proximae voces adhiberi velint, antiquissimo Ecclesiae more, id pueri praestabunt ».

[24] Cfr. Decr. « *Quam singulari* » *d. 8 Aug. 1910.* (*A.A.S.*, vol. II (1910) pag. 582 ss).

[25] Cfr. *Piccoli Cantori.* Organo mensile etc. 1956, p. 29.

[26] Cfr. *Pueri Cantores La Fédération Internationale des Petits Chanteurs de 1944 à 1956.* Serie Organisation — Documentation. N. 1 — Rue E. Flachât 15, Paris 1956. Ad hoc opusculum remittimus pro aliis notitiis, de quibus infra

« A Notre cher Fils
Fernand Maillet
Directeur des Petits Chanteurs à la Croix de bois
Paris

C'est un souvenir très agréable et très doux que Nous conservons de cette Messe du dimanche in albis *célébrée au maître-autel de la Confession de Saint-Pierre qu'entouraient les blanches légions des Petits Chanteurs à la Croix de bois. Leurs voix si pures accompagnaient Notre prière eucharistique avec un élan et une ferveur qui ne laissaient pas de Nous émouvoir profondément. Aussi tenons-Nous à vous renouveler personnellement Nos vives félicitations et à vous dire aussi Nos meilleurs encouragements et Nos voeux pour que Dieu continue à bénir l'oeuvre que vous poursuivez depuis tant d'années avec autant de mérite que de talent. Déja Notre Prédécesseur de sainte mémoire, Pie X, lors de la fondation de votre Société, avait exprimé son auguste satisfaction de voir s'établir cette palestre de la musique sacrée. Nous souhaitons Nous-même que votre Fédération étende ses rameaux le plus largement possible, afin que l'arbre de la manécanterie abrite tels autant d'oiseaux du ciel, un nombre toujours croissant de Petit Chanteurs, dont le choeur aussi ample qu'harmonieux fera retentir la voûte de nos églises — comme, l'autre fois, Notre patriarcale Basilique Vaticane — d'ardentes louanges empreintes tout à la fois d'art et de la piété.*

En vous remerciant du message de filiale dévotion qu'au nom de la grande famille des Petits Chanteurs vous avez eu à coeur de Nous adresser, au lendemain de cette manifestation si touchante, Nous vous accordons volentiers, ainsi qu'à cette multitude de chers enfants, comme gage des meilleurs faveurs célestes, la Bénédiction Apostolique.

Du Vatican, le 20 Mai 1949.

Pius PP. XII.

Interim exortae sunt plures Confoederationes Nationales Puerorum Cantorum, qui a. 1951 (mense martio) III Congressum Internationalem Romae denuo celebraverunt.

Paulo post Secretaria Status approbationem concessit ad quinquennium Statutorum « de la Fédération internationale des Petits Chanteurs » sequenti epistula Can. Maillet missa:

N. 248378 *Dal Vaticano, 6 Avril 1951.*

Monsieur le Chanoine,

Au lendemain de la magnifique cérémonie qui, dans la Basilique Vaticane, rassemblait autour du Père Commun près de 3000 « Petits Chanteurs » appartenant à plus de 12 pays différents, je suis heureux de vous redire la paternelle satisfaction de Sa Sainteté tant pour la splendeur des chants exécutés sous votre direction que pour le précieux témoignage d'unanimité spirituelle donné par ces enfants de nationalités diverses chantant d'une même voix la paix du Christ.

C'est donc de tout coeur que le Souverain Pontife forme les meilleurs voeux pour la croissante extension de la « Fédération Internationale des Petits Chanteurs *associés à la Manécanterie des Petits Chanteurs à la Croix de Bois » dont vous êtes depuis plusieurs années l'infatigable animateur et qui vient à deux reprises, en 1949 et ce dimanche* in albis *1951, de donner devant le Chef de l'Eglise des preuves manifestes de sa vitalité catholique.*

C'est dans cet esprit et à cette fin que la Secrétairerie d'Etat donne volontiers son approbation aux Statuts ci-joints, de ladite Fédération, que vous avez présentés avec une filiale déférence à l'examen du Saint-Siège.

Vous comprendrez d'ailleurs que cette première approbation soit, selon l'usage, valable pour une durée de cinq années, au cours desquelles la Fédération aura toute possibilité de se développer dans la ligne actuellement tracée et d'éprouver la valeur des présents Statuts.

Je suis également heureux de voux annoncer que le Saint Père, qui récemment encore vous manifestait toute Sa bienveillance, agrée le choix de votre propre personne, fait par les élections de la dernière Assemblée Générale, en qualité de Président-Directeur de cette Fédération Internationale pour la durée prévue par les Statuts.

Sa Sainteté voit dans cette reconnaissance de votre Fédération par le Saint-Siège un gage de fécondité spirituelle pour l'oeuvre entreprise, et appellant sur vous-même, vos collaborateurs et tous les « Pueri Cantores » *l'abondance des divines grâces, vous renouvelle la plus paternelle Bénédiction Apostolique.*

Veuillez agréer, Monsieur le Chanoine, l'assurance de mes sentiments bien dévoués en N. S.

J. B. Montini *Subst* ».

Quinquennio elapso, expetita fuit renovatio approbationis Statutorum cum quibusdam mutationibus, quas experientia ipsa atque Consilium Praesidentiae consuluerant.

Tandem die 22 Novembris 1959 habita fuit expetita adprobatio sequenti epistula:

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

—

N. 365 Dal Vaticano, le 22 Novembre 1958.

Monseigneur,

J'ai le plaisir de vous faire savoir que le texte ci joint des Statuts de la Fédération Internationale des Petits Chanteurs, qui fut soumis à la Secrétairerie d'Etat par lettre du 5 octobre dernier, a été examiné avec soin par les Services compétents et vient d'être présenté au Saint-Père.

Sa Sainteté a daigné approuver ces Statuts et en cette fête de Sainte Cécile, chère aux musiciens, vous adresse Ses voeux paternels et accorde à toute la Fédération des « Pueri Cantores » la faveur de la Bénédiction Apostolique.

L'approbation des Statuts est valable pour une période de cinq années, à compter de ce jour.

En vous félicitant de cette marque de confiance que vous accorde le Saint-Père, je vous prie d'agréer, Monseigneur, l'assurance de mes sentiments bien dévoués en N. S.

D. Tardini

En textus Statutorum, quae adprobata fuerunt:

STATUTS DE LA FÉDÉRATION INTERNATIONALE DES « PUERI CANTORES »

Article 1 - TITRE ET COMPOSITION.

Il est formé une Fédération sous le titre suivant:

FÉDÉRATION INTERNATIONALE DES « PUERI CANTORES »

a) *La Fédération Internationale des « Pueri Cantores » est constituée de Fédérations Nationales s'unissant librement, sur un plan d'égalité fraternelle.*

b) *La Fédération Internationale peut s'associer directement des groupes de Petits Chanteurs qui n'ont pu encore, pour des raisons diverses, former une Fédération Nationale.*

c) *Initiateurs du mouvement et « agents de liaison » efficaces à l'intérieur de la Fédération Internationale, les « Petits Chanteurs à la Croix de Bois », dont le rôle « missionaire » fut reconnu, dès 1910, par un Bref de Saint Pie X, sont directement associés à la Fédération Internationale.*

Article 2 - BUT DE LA FÉDÉRATION.

La Fédération Internationale a pour but:

a) *de promouvoir chez les enfants, et par leur intermédiarie, le chant liturgique, spécialement le chant grégorien, la musique polyphonique classique, les oeuvres modernes composées selon les directives pontificales, et de développer ainsi la culture spirituelle, intellectuelle et esthétique des petits Chanteurs;*

b) *de créer entre tous les membres de la Fédération, quelle que soit leur nationalité respective, une compréhension fraternelle, fondée sur des liens de sincère amitié, et d'inviter tous les enfants du monde à s'unir pour chanter d'une même voix la Paix du Christ.*

Article 3 - MOYENS D'ACTION.

Les moyens employés sont:

a) *l'édition d'un bulletin periodique dans lequel une large part sera réservée à la formation spirituelle et liturgique;*

b) *l'édition de pièces religieuses de choix, anciennes ou modernes, destinées à constituer un fonds musical commun;*

c) *l'édition de livres, brochures, fascicules, ayant, pour les membres de la Fédération, un intérêt spirituel, musical, pédagogique, ou procurant des renseignements d'ordre administratif;*

d) *l'organisation de Congrès internationaux destinés à promouvoir la Musique Sacrée chez les enfants et à illustrer l'idéal de la Fédération, ainsi que l'efficacité de son action.*

La Fédération Internationale encouragera et facilitera l'organisation de Congrès nationaux et régionaux consacrés aux mêmes fins;

e) *l'action sur la presse, sur les revues, la radio, les milieux musicaux et auprès des séminaristes, étudiants, etc... susceptibles de participer dans l'avenir à l'activité de la Fédération.*

Article 4 - SIÈGE SOCIAL.

Le Siège social de la Fédération est fixé à Paris, au domicile des « Petits Chanteurs à la Croix de Bois ».

Ce Siège social pourrait être transféré sur la décision des 2/3 des membres de l'Assemblée Générale.

Article 5 - ORGANISMES CENTRAUX.

Les organismes centraux de la Fédération sont:

a) *l'Assemblée Générale;*

b) *le Comité de Direction.*

Article 6 - COMPOSITION DE L'ASSEMBLÉE GÉNÉRALE.

Chaque Fédération Nationale envoie un délégué à l'Assemblée Générale. Ce délégué a droit à une voix dans les délibérations. Toutefois, des voix supplémentaires seront accordées à ce délégué en proportion des groupes inscrits dans sa Fédération, le nombre de ces voix étant décidé par le Comité de Direction avant chaque Assemblée Générale.

Les groupes directement associés à la Fédération Internationale ont voix consultative, par eux-mêmes ou par représentants qualifiés. Il en est de même des « Petits Chanteurs à la Croix de Bois ».

Article 7 - FONCTIONS DE L'ASSEMBLÉE GÉNÉRALE.

L'Assemblée Générale se réunit tous les deux ans, ou lorsque le Comité de Direction le juge nécessaire pour un motif proportionné et exceptionnel.

Elle est normalement convoquée par le Président, mais elle peut toujours se réunir sur la demande d'un tiers de ses membres.

Ses fonctions sont:

a) *de procéder à l'élection du Président et des autres membres du Comité de Direction;*

b) *de discuter et d'approuver le rapport et le programme d'activités présentés par le Comité de Direction, ainsi que les suggestions émanant des membres de la Fédération;*

c) *d'approuver le budget;*

d) *de décider l'admission définitive, au sein de la Fédération Internationale, de nouvelles Fédérations Nationales ou de nouveaux groupes directement associés.*

Les décisions sont prises à la majorité absolue des membres présents ou représentés. En cas de partage, la voix du Président est prépondérante.

Le vote par correspondance est admis.

Article 8 - COMPOSITION DU COMITÉ DE DIRECTION.

Le Comité de Direction est composé d'un Président, de quatre Vice-Présidents, d'un Secrétaire, d'un Trésorier et de cinq à dix Conseillers, élus pour quatre ans par l'Assemblée Générale, et rééligibles.

Le Directeur des « Petits Chanteurs à la Croix de Bois » est, de droit, membre du Comité de Direction.

Les décisions sont prises à la majorité absolue des membres présents ou représentés, sous reserve de l'article 11, par. d. En cas de partage, la voix du Président est prépondérante.

Article 9 - FONCTIONS DU COMITÉ DE DIRECTION.

Le Comité de Direction se réunit en principe tous les six mois. Il lui appartient:

a) *de promouvoir l'activité et le développement de la Fédération;*

b) *d'examiner les mesures envisagées par le Président;*

c) *de décider l'admission provisoire des membres de la Fédération;*

d) *de préparer l'Assemblée Générale.*

Article 10 - FONCTIONS DU PRÉSIDENT.

Le Président:

a) *représente la Fédération;*

b) *dirige l'activité de la Fédération;*

c) *préside l'Assemblée Générale et le Comité de Direction;*

d) *convoque l'Assemblée Générale, sous réserve des dispositions de l'article 7, alinéa 2.*

Article 11 - FONCTIONS DU SECRÉTAIRE.

Le Secrétaire:

a) *dirige l'activité permanente du Secrétariat;*

b) *présente à l'Assemblée Générale, au nom du Comité de Direction, le rapport sur l'activité de la Fédération;*

c) *assure, en liaison avec le Président, l'exécution des décisions prises par l'Assemblée Générale et le Comité de Direction.;*

d) *Il ne prend part à aucun vote.*

Article 12 - BUDGET.

Les ressources de la Fédération sont:

a) *les cotisations volontaires des membres de la Fédération;*

b) *les cotisations éventuelles de bienfaiteurs.*

Le budget sera soumis par le Trésorier à l'Assemblée Générale. Le Trésorier ne prendra pas part au vote concernant le budget.

Sur la proposition du Comité de Direction, l'Assemblée Générale a pouvoir, si elle le juge utile, d'établir des cotisations obligatoires dont elle fixera le taux.

Article 13 - DURÉE ET DISSOLUTION.

La durée de la Fédération est illimitée.

Toutefois, la dissolution pourra être décidée selon les conditions prévues pour une modification des Statuts. L'Assemblée Générale chargera un membre du Comité de Direction de procéder à la liquidation des biens. Elle décide souverainement de l'actif net.

Article 14 - MODIFICATION DES STATUTS.

Les Statuts ne peuvent être modifiés que par une Assemblée Générale statuant à la majorité des 2/3 des membres présents ou représentés.

Article 15 - REGLEMENT INTERIEUR.

Les dispositions contenues dans les présents Statuts seront complétées par un Règlement intérieur, proposé par le Comité de Direction et approuvé par l'Assemblée Générale.

PROTOCOLE ADDITIONNEL

Article 1.

a) *Chaque groupe de « Pueri Cantores », membre d'une Fédération Nationale ou directement associé à la Fédération Internationale, doit avoir obtenu l'autorisation de l'autorité ecclésiastique compétente pour se constituer.*

b) *C'est aux Ordinaires qu'il appartient de promouvoir le chant sacré et de juger des moyens les plus opportuns pour atteindre cette fin. La Fédération n'a pour seul dessein que de servir cette cause en suscitant et en coordonnant des réalisations propres au succès de celle-ci. C'est pourquoi il est souhaitable que les groupes s'organisent sur le plan diocésain.*

Article 2.

a) *Le Président de la Fédération Internationale sera toujours un ecclésiastique. Son élection devra être approuvée par le Saint-Siége.*

b) *Les présents Statuts entreront en vigueur dès qu'ils auront reçu l'approbation du Saint-Siège.*

c) *Les modifications aux présents Statuts devront être approuvées par le Saint-Siège.*

REGLEMENT INTERIEUR DE LA FEDERATION INTERNATIONALE DES « PUERI CANTORES ».

Article 1 - PATRONAGE.

La Fédération Internationale des « Pueri Cantores » place son activité sous le patronage de Saint Dominique Savio qui lui a été donné comme Patron par un Bref de S.S. Pie XII en date du 8 juin 1956.

Article 2 - COMPOSITION DE LA FÉDÉRATION.

Par la Fédération Nationale (Statuts, art. 1, par. a), il faut entendre une Fédération qui réunit, au plan diocésain ou interdiocésain, au moins trois groupes (chorales, maîtrises, manécanteries) de jeunes garçons, seuls ou avec des voix d'hommes, dans le cadre d'une unité territoriale, politique, géographique ou linguistique.

Article 3 - RÉPERTOIRE.

Outre le répertoire religieux, chaque groupe possédera facultativement un second répertoire profane, spécialement folklorique.

Article 4 - COSTUME DE CHOEUR.

Le costume de choeur pourra être, au gré du directeur de chaque groupe l'un de ceux traditionnellement admis dans l'église, y compris celui des Petits Chanteurs à la Croix de Bois: aube, amict, cordon, croix de bois ou de métal.

Article 5 - FONCTIONS DU SECRÉTAIRE.

Outre les fonctions prévues à l'article 11 des Statuts, il appartient au Secrétaire de veiller tout particulièrement à l'édition des diverses publications de la Fédération et à la préparation des Congrès internationaux.

Article 6 - BUDGET.

Outre les ressources prévues à l'article 12 des Statuts, pourront être portées à l'actif du budget les recettes que pourront procurer certaines activités de la Fédération (disques, éditions diverses, etc...).

Nunc temporis Confederatio Internationalis Puerorum Cantorum complectitur Confederationes 53 Nationum ex 5 Continentibus, 2693 associationes et 200.000 circiter Pueros Cantores [27].

11. - Sub respectu iuridico, praeter praescriptum n. 13 « *Motu Proprio* » S. Pii PP. X iam supra citatum (n. 9), Pius XI. in Sua Const. Ap. « *Divini cultus sanctitatem* » (n. 28) haec praeclara habet quoad pueros cantores: « Scholae puerorum, non modo apud maiora templa ut cathedrales, sed etiam penes minores et paroeciales aedes excitentur; pueri autem a Cappellarum magistris ad recte canendum instituantur, ut ipsorum voces, iuxta veterem Ecclesiae morem, virorum choris sese adiungant, maxime cum in polyphonica musica, ut olim, adhibendae sint pro suprema voce, quae cantus appellari consuevit.

Ex eorum numero, saeculo praesertim XVI, polyphoniae auctores peritissimi, uti est compertum, prodiere, quos inter omnium facile princeps Joannes ille Aloisius Praenestinus ».

Praeterea Pius XII f. r. in Litt Enc. « *Musicae sacrae disciplina* » [29] ac praecipue in Instr. « *De musica sacra deque sacra Liturgia* » verum munus liturgicum, pueris cantoribus antiquitus tra-

---

[27] Cfr. *Pueri Cantores. Rivista internazionale.* Rue E. Flâchat, 15, Parigi (XVII). — *Inter nos.* Bollettino di collegamento tra la Federazione Internazionale e i Comitati direttivi delle Federazioni Nazionali. — *Piccoli Cantori* (volantino mensile) in *Bollettino Ceciliano*, A. I. S. C., Roma. Via della Scrofa, 70. *Caecilia.* Rassegna bibliografica Edit. Carrara. Via A. Caleppio 4. Bergamo. Cfr. pure: MAILLET, F. *Les petites Chanteurs à la Croix de bois. Souvenires et anedoctes.* Edit. Flammarion. Rue Racine 26. Parigi. IDEM, *Petites Chanteurs d'hier et d'aujourd'hui.* Ibid. CASIMIRI, R. *Cantantibus Organis!* A. I. S. C. Roma (v. Indice analitico: *Schola cantorum — Schola puerorum*). ROMITA, F. *Azione Ceciliana.* Desclée. Piazza Grazioli, 4. Roma. — IDEM, *Piccoli Cantori (Storia - Liturgia - Organizzazione - Congressi - Medaglioni - Rituale). Ibid.* PATUELLI, P. *Voci e anime.* Ed. « Marianum », Bologna. PETIT, L. *Deviens Petit Chanteur. Manecanterie des Sables.* Tunis, Rue d'Algier 4.

[28] *A.A.S.*, vol. 21, p. 33 ss.

[29] Cfr. ROMITA F. *L'Enciclica « Musicae sacrae disciplina » e i Piccoli Cantori* in « *Piccoli Cantori* », Organo mensile della Federazione Italiana dei Piccoli Cantori e del Segretariato « Pueri Cantores » della Associazione Italiana S. Cecilia per la musica sacra. Anno I n. 3 Marzo 1956: v. *Bollettino Ceciliano* 1956 n. 3 - Idem, ibid. n. 4 Aprile 1956: « *Finalità liturgiche e sociali dei Piccoli Cantori* ».

ditum, sollemniter ac perspicue illustravit, edicens: « Laici vero masculini sexus, *sive pueri sint*, sive iuvenes aut viri, cum a competente auctoritate ecclesiastica ad ministerium altaris vel ad musicam exsequendam deputentur, si tale officium modo et forma a rubricis statutum peragant, servitium ministeriale directum quidem sed delegatum exercent, ea tamen condicione, si de cantu agatur, ut « chorum » seu « scholam cantorum constituant » [30].

Quae legitima deputatio sollemniter fit in vestitione Puerorum Cantorum iuxta Rituale proprium [31].

12. - In Litt. Apost. « *Carmina sacra* », quas hic adnotamus, Pius XII f. r. in primis peculiares effectus commemorat puerorum cantorum concentuum [32], quos Ipse non semel audierat in Petriana Basilica [33], necnon Sedis Apostolicae erga Pueros Cantores sollicitudines, quas supra descripsimus.

Dein ad expostulationem alludit, quam Confederationum Puerorum Cantorum 26 Nationum Praesides ad S. Pontificem miserunt ut S. Dominicum Savio caelestem eorundem apud Deum Patronum constitueret [34].

---

[30] Cfr. Instr. cit. n. 93, c.

[31] Cfr. *Piccoli Cantori*, Organo ecc. a. II n. 2 (Febbraio 1957): *Cerimoniale della vestizione dei Piccoli Cantori.*

[32] Cfr. (Romita F. in *Piccoli Cantori* cit. 1958, p. 26 s) « ... Molte volte mi sono domandato: perchè i Piccoli Cantori dèstano una così profonda impressione in chi li ascolta? Anche a Lourdes, dove pure si succedono pellegrinaggi e manifestazioni religiose della più alta suggestività!

Il numero? Ma altre adunate di cori (anche più numerosi) non producono lo stesso effetto. E poi, nei concerti, ricordo che gli 8 Piccoli Cantori di Chaillot, con l'esecuzione senza Direttore di una semplice *Salve Regina* in gregoriano, riportarono il successo più clamoroso.

Il genere musicale che eseguono? Ma la polifonia e il gregoriano l'ascoltiamo anche dalle Cappelle Musicali e dai cori monastici; e, sotto un punto di vista artistico, con maggiore perfezione tecnica che non dalle masse dei Piccoli Cantori di diversa provenienza, messi insieme con poche prove.

La bellezza della voce? Sì, senza dubbio. Ma non dimentichiamo che vi sono cori misti con voci femminili di sfolgorante bellezza.

E dunque dov'è il segreto del misterioso fascino che i Piccoli Cantori esercitano in ogni ambiente, presso persone di ogni stirpe, di ogni ceto?

Io credo che sia la fragrante freschezza della loro innocenza, che traspare nella intatta purezza della loro voce chiara, squillante, incisiva, limpida come un cristallo di rocca; quell'innocenza che risplende nella vivida luce dei loro occhi sorridenti, nella grazia dei loro visi di angeli sperduti su questa terra, nella semplice eleganza della loro veste che li avvolge come in una candida spuma di acque rupestri che precipitano di cascata in cascata ».

[33] Congressus enim Romae habiti sunt a. 1949 (19-24 Apr.) et a. 1951 (d. 27 Martii).

[34] Cfr. *Bollettino Salesiano*, Maggio 1956 — Pag. 163: (v. anche *Piccoli*

Non una autem fuerat ratio convenientiae huiusmodi designationis. Sanctus enim iuvenis a patre suo, qui assiduus fuit cantor in paroecia [35], amorem sumpsit erga musicam sacram, quam S. Joannes Bosco fovit [36], atque Divina Gratia ad exstasim elevavit [37].

Cantori, volantino a. 1956 p. 35) ... « Lo scorso anno si tenne a Parigi l'Assemblea generale dei Presidenti Nazionali dell Associazione *Pueri Cantores.* Vi parteciparono i rappresentanti di 25 Federazioni di altrettanti Paesi. Il bilancio attivo di questo movimento è senza dubbio rilevante: centotrentamila fanciulli sono organizzati tra i *Petits chanteurs à la croix de bois.* Durante una delle sedute una luce illuminò l'Assemblea e i suoi lavori. Questa luce ha un nome ormai ben noto: San Domenico Savio.

La Federazione Italiana dei *Pueri Cantores* aveva portato da Roma in dono alla Federazione Internazionale una reliquia del Ragazzo santo, racchiusa in una bellissima rosa in filigrana d'argento dorato, e un quadro del Santo, col voto, unanimamente accolto dall'Assemblea, che la S. Sede proclamasse S. Domenico Savio Patrono dei Piccoli Cantori.

Il significato di questo voto e del suo unanime accoglimento è ben chiaro: la Federazione Internazionale e le Presidenze Nazionali dei Pueri Cantores si impegnano a plasmare i piccoli organizzati secondo il fulgido modello presentato dalla Chiesa in S. Domenico Savio, il Piccolo Cantore di S. Giovanni Bosco; perchè alla santità l'Organizzazione tende a portare, per mezzo della musica sacra, schiere di fanciulli, i prediletti del Divino Maestro »

[35] Cfr. Càstano L. *San Domenico Savio.* Soc. Ed Internazionale, Torino 1954. Pag. 16.

[36] Cfr. *Piccoli Cantori,* (volantino) 1956, n. 11, pag. 35. « Don Giovanni Branda, salesiano della prima ora, assicurava di aver sentito da Don Bosco stesso nel 1869 un fatto che mette in luce l'umiltà del santo giovanetto. Si celebrava nel 1855 al Santuario della Consolata una solenne funzione a cui fu invitata per la esecuzione del canto sacro la scuola di Don Bosco. Tra i cantori vi era anche Domenico Savio, il quale eseguì un assolo. Dotato di bella voce, vi riuscì perfettamente, tanto che dopo la funzione qualcuno dei presenti gli si avvicinò per complimentarlo. Questa dimostrazione di simpatia causò a Domenico tanto dispiacere che si mise a piangere. Don Bosco, chiamatolo a sè, lo invitò a confidargli il motivo del pianto. « Mentre cantavo da solo — rispose Domenico — fui assalito da un sentimento di compiacenza e dovetti lottare per non lasciarmi vincere. Quando pensavo che tutto fosse finito, ecco nuove dimostrazioni di lodi, che rinnovarono in me la tentazione di compiacenza. E questo mi ha fatto piangere per timore di aver perduto il merito del mio canto ».

Veramente preziose queste lacrime di un giovanetto che teme di cadere vittima della vanagloria nel compiere il bene.

S. Domenico Savio con la sua bella voce e l'inestimabile dono della umiltà sarà uno splendido modello per i Piccoli Cantori, ai quali otterrà due grazie: quella di cantare bene come lui e quella di pensare sempre e soprattutto alla gloria del Signore ».

[37] « Alle visioni si unirono i rapimenti dello spirito e le estasi... Capitò

Praeterea virtutes, quibus puer Dominicus Savio, suavissimus atque candidi lilii fragrans odore, exornatus fuit, quasque universa iuventus ac praesertim Pueri Cantores aemulari convenit, idem S. Pius XII praeclare illustravit: « Nihil profecto pulchrius — ita S. Pontifex —, nihil amabilius quam candida iuventus, quae mentis animique ornamentis niteat, ac praesertim sanctitatis splendore refulgeat, ut in hoc Legiferi Patris vestri alumno contigisse laetamur. Cuius quidem vitam considerantibus nobis Providentissimus Deus praeclarum voluisse videtur quasi specimen rectae illius iuvenilis institutionis educationisque praebere, qua Salesianae Societatis Conditor tantopere praestitit.

« Vixdum siquidem in Religiosam Familiam vestram ingressus est, sui Magistri monitis hortamentisque ultro libenterque obtemperans, nihil aliud egit nisi ad sanctitatem apicem citatiore cotidie gradu contendit. Ad id spectat firmissima eius voluntas quidquid iacturae ac vel mortem ipsam tolerare potius quam qualibet peccati labecula foedare animum; ad id spectat intensissima pietas erga Divinum Redemptorem Eucharisticis velis delitescentem; eiusque Sanctissimam Matrem; ad id denique spectat incensum apostolatus studium, quo suos aequales ex iuvenilibus vitiorum illecebris abstrahere, eosque secum ad christianam assequendam virtutem revocare omni spe enisus est.

« Quod autem peculiari modo hoc in adolescente placet innocentissimi animi candor est, eiusque propositum validissimum intaminatae pudicitiae lilium per totius vitae cursum servandi incolume, ita ut iuventuti nostrae salutariter praefulgeat tot hodie tantisque periculis insidiisque circumventae. Eum igitur colant, venerentur atque aemulari contendant adulescentes potissimum optamus; usque nominatim, qui vestris curis commissi sunt educandi; ita enim fiet, adspirante iuvanteque Deo, ut casta, serena, hilara ac fortis iuventus in Catholicae Ecclesiae civilisque societatis spem feliciter succrescat » [38].

---

un giorno — probabilmente nel 1856 — che Domenico Savio non fu visto nè a colazione, nè a scuola, nè a pranzo. Non era a letto e in studio non si trovava. Si avvisò D. Bosco, il quale sospettò quello che poteva accadere. Andò nel coretto della Chiesa di S. Francesco, dove altre volte gli era occorso di vedere il Savio in preghiera, e con stupore lo trovò in estasi. Aveva un piede sull'altro; una mano appoggiata al leggio dell'antifonario, l'altra sul petto, la faccia immobile e rivolta al Tabernacolo ». CÀSTANO, o. c. p. 137 s.

[38] Cfr. *Epistulam ad Rev.mum D.mum Renatum Zigiotti, Societatis S. Francisci Salesii Moderatorem Generalem saeculo exeunte ab obitu S. Dominici Savio* (*A.A.S.*, 1957, pag. 206 s.).

13. - Patronatus Sanctorum in Ecclesia theologice innititur super dogma Communionis Sanctorum et super doctrinam paulinam Corporis Mystici [39]; historice autem super institutum iuris romani, vi cuius patroni uti defensores assumebantur a clientibus, qui patrono tribuere tenebantur operas, dona ac munera.

In Religione Catholica Sancti Patroni, utpote cives optimo iure urbis coelestis, Ecclesiastica Auctoritate constituebantur tamquam advocati apud Deum atque adiutores et defensores contra Malignum eiusque asseclas pro fidelibus alicuius loci, Nationis, urbis vel civitatis, vel generis, [40] ut sunt Pueri Cantores.

Itaque S. Dominicus Savio, ut eorundem Patronus, pro eis apud Deum intercedit eosque defendit ab insidiis diaboli, exemplum suae vitae eisdem exhibens.

Pueri autem Cantores, uti fideles clientes Patroni tam Sancti, operam Deo reddere tenentur cantus sacri, donum offerre suae lilialis puritatis, gratissimum munus exhibere sacrificii, quod tum in praeparatione remota ac proxima tum in executione muneris liturgici sibi proprii sustinere debent.

14. - Privilegia liturgica, quae, uti Puerorum Cantorum Patrono, S. Dominico Savio competunt, communia sunt cum ceteris coetuum seu Ordinum Patronis.

Revera huiusmodi Patroni, sic dicti « morales », non videntur plene frui eodem cultu necnon privilegiis propriis loci Patronum [41], nisi Apostolicae Litterae aut aliud documentum [42], nomine et pontificia auctoritate exaratum, hoc expresse indulserit [43].

Revera in Litteris Apostolicis « *Carmina Sacra* » nihil de hoc statuitur. Recentissime vero S. Rituum Congregatio peculiare sequens indultum concessit:

SACRA RITUUM CONGREGATIO

R. 19/960

ROMANA ET ALIARUM

Rev.mus Dominus Florentius Romita, Italicae Foederationis Puerorum Cantorum Praeses, exponens Festum Sancti Dominici

---

[39] *I Cor.* 13, 8-13; 12-18; 28-30.

[40] Cfr. Bugnini A. *Patrono* in *Enciclopedia Cattolica,* vol. IX, col. 983-990.

[41] De privilegiis et honoribus liturgicis loci Patronorum cfr. Callewaert, C. *Institutiones liturgicae. II. De officio Divino.* Bruges 1931. Pag. 267-269.

[42] Cfr. *Decr. auth.* n. 2916.

[43] Cfr. *Decr. auth.* n. 2769, 8, n. 1°, 2°, 3°.

Savio Confessoris, caelestis Patroni Puerorum Cantorum, die nona Martii celebrari haud posse ea, qua par est, solemnitate, a Sanctitate Sua suppliciter postulavit, ut Missa propria de eodem Sancto celebrari valeat iis quidem diebus et locis, ubi eorundem Puerorum Cantorum conventus habeatur.

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi a Ss.mo Domino nostro Ioanne Papa XXIII *tributarum, attentis expositis, precibus ita annuit ut, de consensu Ordinarii loci in quo praedicti Conventus celebrantur, litari possit unica Missa propria de Sancto Dominico Savio, in cantu seu lecta, dummodo non occurrat festum vel Dominica primae classis, eadem Missa solum in cantu permittitur: servatis Rubricis. Praesenti Indulto ad proximum quinquennium valituro. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Die 1 Aprilis 1960.*

C. Card. Cicognani, *S. R. C. Praefectus*
Henricus Dante, *S. R. C. a Secretis*

Faxit Deus ut ubique terrarum Pueri Cantores, praeclarissimum sequentes exemplum virtutum Sancti Dominici Savio Eiusque validissima muniti coelesti protectione, ad pios purissimosque affectus in animum fidelium excitandos, ad decorem divini cultus magis magisque provehendum et ad maiorem gloriam Uni Trinoque Deo, Deiparae Virgini ac Sanctis amplificandam, vivant, crescant, floreant.

Florentius Romita

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

DE FACULTATIBUS ET GRATIIS PRO AMERICA LATINA ET PRO INSULIS PHILIPPINIS.

Privilegia et gratias per Apostolicas Litteras sub Anulo Piscatoris « Trans Oceanum », anno 1897 a Summo Pontifice Leone XIII, fel. rec., omnibus Ordinariis locorum, sacerdotibus et christifidelibus Americae Latinae ad triginta annorum spatium concessa, Summi Pontifices S. Pius X, Pius XI et Pius XII, rec. mem., sive ad Insulas Philippinas extenderunt sive, per subsequentia Apostolica documenta: « Litteris Apostolicis » et « Conspicua privilegia », deinceps usque ad integrum annum 1959 benigne confirmarunt seu prorogarunt. Ea enim in evidentem christifidelium utilitatem feliciusque eorumdem regimen redundare compertum erat.

Cum autem hoc exeunte anno quos supra memoravimus Ordinarii — Americae Latinae scilicet et Insularum Philippinarum — iisdem permanentibus adiunctis, enixe postulaverint ut eadem privilegia, nonnullis inductis immutationibus, adhuc prorogarentur, Ss.mus Dominus Noster Ioannes Divina Providentia Pp. XXIII, consultis Eminentissimis Patribus Sacrorum Romanae Curiae Dicasteriorum, pro rebus et causis ad unumquodque spectantibus, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis Secretarii, porrectis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter praesenti Consistoriali Decreto eadem Sanctitas Sua, omnibus et singulis locorum Ordinariis, sacerdotibus et christifidelibus dioecesium et ditionum Americae Latinae et Insularum Philippinarum facultates et gratias, quae infra edicuntur, benigne confirmat atque elargitur usque ad diem 31 mensis Decembris anni 1969.

1) Ordinarii locorum parochis vel missionariis, in regionibus seu locis in quibus, ob magnam distantiam vel ob aliud impedimentum, eisdem perdifficile sit, ex fontibus baptisma-

libus, ubi asservatur, desumere et secum ferre aquam Sabbato Sancto benedictam, possunt facultatem concedere aquam baptismalem benedicendi ea breviori formula, quae, a Summo Pontefice Paulo Pp. III missionariis in Peruvia apud Indos concessa, nunc in Appendice Ritualis Romani legitur.

2) Parochi et missionarii, si propter temporis defectum improbamque defatigationem, vel aliis gravibus de causis, omnes adhibere pro Baptismo adultorum praescriptas caeremonias haud facile valeant, solis ritibus, qui in Constitutione memorati Pauli PP. III *Altitudo* die 1 mensis Iunii anno MDXXXVII data designantur, uti licite poterunt, praevio tamen Ordinarii consensu.

3) Item Ordinarii locorum, secluso Vicario Generali sine Episcopi speciali mandato, deputare possunt, ad Sacramentum Confirmationis administrandum, sacerdotes, quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii foranei fungentes, numquam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis in quibus praedictum Sacramentum administrandum erit; servata Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum Instructione pro simplici sacerdote, ex Sedis Apostolicae delegatione, Sacramentum Confirmationis administrante (*A. A. S.*, XXVII, 11 seq.).

4) Iidem Ordinarii ad assistendum nuptiis iuxta formam a iure statutam delegare possunt sacerdotes qui, Missionum causa, ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis implendum in longinquas regiones, a parochiali sede dissitas, pergunt, iisdem Missionibus perdurantibus, atque iis servatis, quae, prouti res ferat et loci ac temporis conditiones observari permittant, matrimonii celebrationi, ad normam canonis 1019 et seq. Codicis Iuris Canonici, praemitti debent; facta tamen huius Apostolici Indulti expressa mentione in unoquoque casu et iugiter firmis sacrorum canonum praescriptionibus tum de iuribus parochi servandis tum de inscriptione in libris paroecialibus facienda.

5) Ordinarii pariter dispensare valent super matrimonialibus, iuris dumtaxat ecclesiastici, impedimentis, a quibus Sancta Sedes dispensare consuevit, exceptis proinde impedimentis,

quae ex Sacris Ordinibus vel ex affinitate in linea recta consummato matrimonio proveniunt; excepto quoque, ob rei gravitatem, impedimento de quo in canone 1075, nn. 2, 3; exceptis denique mixtae religionis et cultus disparitatis impedimentis, nisi speciales a Suprema S. Congregatione Sancti Officii facultates obtentae fuerint.

Insuper venia iisdem conceditur decernendi atque declarandi legitimam prolem nupturientium, dummodo ipsa in adulterio ne sit concepta; facta tamen in unoquoque casu, etiam in concedendis dispensationibus, huius Apostolici Indulti expressa mentione.

6) Fidelibus autem matrimonium contrahentibus largitur ut quocumque anni tempore Nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo illis temporibus, in quibus ab Ecclesia nuptiae prohibentur, a nimia pompa abstineant; cauto tamen ut, si extra Missam benedictio nuptialis concedatur, formula in ap pendice « de Matrimonio » Ritualis Romani adhibeatur.

7) Conceditur pariter ut Sacra Olea etiam antiqua, non ultra duos annos, adhiberi possint, dummodo ne sint corrupta et nova vel recentiora Sacra Olea, peracta omni diligentia, haberi nequeant.

8) Ordinarii permittere queunt sacerdotibus usum altaris portatilis, ita tamen ut huiusmodi usus sit tantum in fidelium bonum atque illis in locis, in quibus ecclesia vel publica oratoria desint, aut paroecialis ecclesia sit longe distans, non vero in mari; dummodo celebrationis locus sit decens atque honestus, super petra sacra celebretur, et parochi ceterique sacerdotes quibus haec facultas tribuetur, Sancti Evangelii explicatione vel catechesis traditione fideles, sacro adstantes, instruant.

9) Ordinarii concedere possunt sacerdotibus facultatem celebrandi in navi sacrosanctum Missae Sacrificium, durante dumtaxat tempore itineris, dommodo locus, in quo Missa peragenda est, nihil indecens aut indecorum praeseferat, mare aut flumen sit adeo tranquillum, ut quodcumque e Calice effusionis Sacrarum Specierum periculum absit; atque alter sacerdos, superpelliceo indutus, si adsit, celebranti presbytero adsistat.

10) Ordinarii locorum sacerdotibus suae iurisdictioni obnoxiis, ubi viarum et curruum deest copia, facultatem concedere valent substituendi, loco altaris portatilis seu petrae sacrae, aliquod linteum ex lino vel cannabe confectum et ab Episcopo benedictum, in quo conditae sint Sanctorum Reliquiae ab eodem Episcopo recognitae, super quo iidem sacerdotes sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare queant iis tantum in casibus, et onerata eorum conscientia, in quibus aut nulla ecclesia vel oratorium sive publicum sive privatum exstet, et valde incommodum sit lapideum altare secum in itinere transferre aut in promptu habere. Servatis de cetero servandis iuxta Rubricas, praesertim quoad tobaleas et corporale.

11) Omnibus autem Americae Latinae christifidelibus permittitur ut a dominica Septuagesimae usque ad diem 16 mensis Iulii, in Commemoratione B. M. V. de Monte Carmelo, praecepto annuae paschalis Communionis satisfacere possint.

12) Iisdem christifidelibus largitur, si loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere, ut lucrari queant Indulgentias et Iubilaea quae Confessionem et Communionem et ieiunium requirunt, dummodo, servato ieiunio, sint corde saltem contriti, addito firmo proposito admissa, quamprimum poterunt, confitendi.

Datum Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 8 mensis Augusti anno 1959.

+ Marcellus Card. Mimmi, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L + S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. Serdicensis, *Adsessor*

(*A.A.S.*, vol. 51 pp. 915-918).

ADNOTATIONES *

1. - Die 8 augusti 1959 iussu et auctoritate Summi Pontificis Ioannis XXIII feliciter regnantis, cura et studio S. Congregationis Consistorialis, prodiit novus Index in quo continentur facultates, quibus eadem Sanctitas Sua Ordinarios omnes locorum, scilicet Dioecesium, Praelaturarum nullius, Vicariatuum Apostolicorum et Praefecturarum vel Missionum sui iuris si quae sint, in regionibus Americae Latinae necnon Insularum Philippinarum extantium iterum ad decennium, immo usque ad diem 31 mensis decembris anni 1969, benigne ditare dignatus est.

2. - In exordio Consistorialis Decreti *Privilegia et gratias* ad hoc editi [1] de anteactis et de causis concessionis huiusmodi nonnulla concinne exponuntur. Ideoque ut in compertum habeas utrum hic Index nunc primum datus sit an potius iam plures abhinc annos a Summis Pontificibus gratiae et facultates huiusmodi in bonum fidelium Americae Latinae largitae fuerint, sufficit perpendere quae ibi recoluntur, quaeque nos breviter explanare satagimus.

Ex his clare eruitur Indicem hunc primitus datum fuisse, ad triginta annos valiturum, anno 1897 a Leone XIII Summo Pontifice; ipsumque, paululum immutatum et Codici Iuris canonici ac-

---

* BIBLIOGRAPHIA

ACTA APOSTOLICAE SEDIS.

ANNALES ECCLESIASTICI ab anno 1598 ubi Card. Baronius desinit, auctore Odorico Raynaldo, Romae 1663, Tom. XIX.

AYARRAGARAY L., *La Iglesia en América y la dominación española*, Buenos Aires 1920.

BULLARIUM FRATRUM ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI STRICTIORIS OBSERVANTIAE DISCALCEATORUM, a P. Francisco Matritensi ... elaboratum, Matriti 1744.

CODICIS IURIS CANONICI FONTES cura E.mi Petri Card. Gasparri editi, Romae 1923.

COLLECTANEA S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE seu Decreta Instructiones Rescripta pro Apostolicis Missionibus, Romae 1907.

ENCYCLOPÉDIE CATHOLIQUE DU MONDE CHRÉTIEN « Bilan du Monde » 1958-1959, publié par le Centre de Recherches socio-religieuses (Bruxelles) et le Centre « Église Vivante » (Louvain), Casterman, Paris - Tournai.

HERNAEZ F. X., S. J., *Colección de Bulas, Breves y otros documentos relativos a la Iglesia de América y de Filippinas*, Bruxelles 1879.

LEONIS XIII PONTIFICIS MAXIMI ACTA, Romae 1898.

MORONI GAETANO, *Dizionario di Erudizione Storico-Ecclesiastica*, Venezia 1840 ss.

VON PASTOR BARONE LUDOVICO, *Storia dei Papi*.

---

[1] *A.A.S.* LI (1959), pp. 915-918.

comodatum, iterum iterumque a Summis Pontificibus Pio XI anno 1927 et 1929 [2], Pio XII anno 1939 [3] et 1949 [4], novissime vero a Summo Pontifice Ioanne XXIII feliciter regnante confirmatum et ad decennium, unde effatum « facultates decennales », prorogatum [5].

3. - Vero si quaeris utrum ipse Leo XIII primus fuerit auctor an non concessionis specialium facultatum et gratiarum ad spirituale commodum christifidelium in America Latina versantium, meminisse iuvabit saeculorum decursu plures Summos Pontifices peculiaria privilegia in favorem Ordinariorum et fidelium Americae Latinae sedulo largitos esse, initium facientes a territoriis repertis, duce Christophoro Columbo, in altera Orbis parte, quum Romana Catholica Ecclesia, pro mandato sibi a Domino Nostro Jesu Christo commisso, evangelizationem gentium terras illas incolentium aggressa est.

Ex tunc, qua par erat necessitas, Ecclesia Dei adlaboravit sive ut multa indigenarum millia ibi extantia e latebris et fero cultu ad humanitatem et mansuetudinem traduceret et lumine Evangelii ab interitu ad vitam revocaret, sive ut aeternae saluti novorum incolarum ab Europa et potissimum ab Iberica regione illuc commigrantium consuleret.

Nullo non tempore Romani Pontifices destiterunt ad Americam excolendam evangelii praecones summittere, quos ut uberius et facilius laborarent nedum extraordinaria auctoritate et iurisdictione sed et singularibus facultatibus et privilegiis augere sategerunt.

Ne pigeat igitur nonnulla recolere de facultatibus et gratiis ad spiritualis boni profectum Americae Latinae a saeculo decimoquinto ad nostra usque tempora a Romanis Pontificibus concessis.

4. - Antea tamen quid veniat sub nomine Americae Latinae dicere minime supervacaneum existimamus. Quid intelligatur sub nomine Americae Latinae peculiari non indiget explicatione quum universi sciant, hoc nomen, rationem ducere, ut verbis ipsis Summi Pontificis Leonis XIII utar, ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguae [6].

---

[2] *A.A.S.* XXI (1929), pp. 554-557.

[3] *A.A.S.* XXXI (1939), p. 224.

[4] *A.A.S.* XXXXI (1949), pp. 189-191.

[5] *A.A.S.* LI (1959) p. 915.

[6] « Factum est Americae magna pars ab avita religione novorum incolarum et ab origine eorum linguae haberi et dici possit America Latina » *Trans Oceanum*, Leonis XIII P. M. Acta, 1898, pp. 100 ss.

Omnes igitur ditiones, Mexicana non seclusa, in America meridionali et centrali extantes nomine Americae Latinae communiter comprehenduntur.

5. - Agentes de facultatibus et gratiis a Romanis Pontificibus Americae Latinae concessis, procedendum esse censemus non secundum diversitatem materiae sed potius ordinem cronologicum sequentes, ut appareat qua sollicitudine, numquam intermissa, Apostolica Sedes in spiritualem profectum incolarum illarum regionum sese impenderit.

6. - Primus, ratione temporis, Romanorum Pontificum qui peculiari cura bonum animarum sive novi orbis indigenarum [7] sive christifidelium illuc se conferentium prosequutus est, Summus Pontifex exstat Alexander huius nominis VI (1492-1503). Ipse etenim sacerdotes sive saeculares sive religiosos ex quibuslibet Ordinibus accedentes « in insulas et partes praedictas » peculiaribus privilegiis et facultatibus ditavit eosdemque auctoritate extraordinaria munivit. Meminisse sufficiat Apostolicum Breve *Tibi qui presbyter es* die 1 iulii 1493 R.P. Bernardo Boyl ex Ordine Fratrum Minorum datum, quo eidem — quem « missum » a Romano Pontifice dicunt [8] iura et privilegia, de quibus nonnulla infra prostant, maximi momenti tribuit.

Dilecto filio Bernardo Boyl fratri ordinis Minorum vicario dicti ordinis in Hispaniarum regnis salutem.

Tibi, qui presbyter es, ad insulas et partes praedictas etiam cum aliquibus sociis tuis, vel alterius Ordinis per te aut eosdem Regem et Regi-

---

[7] Audias, quaeso, quid de audacissimo facinore a Christophoro Columbo peracto Odoricus Raynaldus Congregationis Oratorii presbyter anno 1663 scribebat: « n. 23-De occasione, quae Christophorum Columbum ad laudatissimum audacissimumque facinus impulit, varia referunt scriptores: alii aiunt ipsum a Polo medico Florentino insigni cosmographo edoctum, patere necessario ad occidentem alium orbem, sumpto ex solis circa terrarum circuito argumento, quod propheta docuit his verbis: « a summo coelo egressio eius et occursus id est circuitus, suis usque ad summum eius »; quem circuitum frustra non fieri ratio edocebat. Alii factum ipsum certiorem a nauta apud Canarias excepto hospitio, qui valida tempestate ad incognitas terras amplissimas ad occasum porrectas abreptum se testabatur, scriptaque de his commentaria Columbo reliquit: quae tempestas divinae providentiae omnia suavissime disponentis singulari beneficio concitata visa est ». Annales Ecclesiastici auctore Odorico Raynaldo Tom. XIX, a. 1493.

[8] n. 24 - « Missum ab Alexandro in novum orbem fuisse Bernadum Boyl ordinis Minorum genere catalanum una cum duodecim sacerdotibus ut incultas

nam, (nempe Ferdinandum et Elisabetham) eligendis, superiorum vestrorum vel cuiusvis alterius super hoc licentia minime requisita, accedendi, et inibi quandiu volueritis commorandi, ac per te, vel alium seu alios ad id idoneos presbyteros saeculares vel religiosos Ordinum quorumcumque, verbum Dei praedicandi et seminandi, dictosque incolas et habitatores ad fidem catholicam reducendi, eosque baptizandi et in fide ipsa instruendi, et ecclesiastica sacramenta, quoties opus fuerit, ipsis ministrandi ipsosque et eorum quemlibet per te, vel alium seu alios presbyteros saeculares vel religiosos, in eorum confessionibus et quoties opus fuerit, audiendi, illisque diligenter auditis pro commissis per eos criminibus, excessibus et delictis etiamsi talia fuerint, propter quae Sedes Apostolica quovis modo fuerit consulenda, *de absolutionis debito providendi,* eisque poenitentiam salutarem iniungendi, necnon *vota quaecumque* per eos pro tempore emissa, Jerosolimitani, liminum Apostolorum Petri et Pauli, ac S. Jacobi in Compostella, et religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera *commutandi,* ac quascumque *ecclesias, capellas, monasteria, domos Ordinum quorumcumque etiam mendicantium, tam virorum quam mulierum, et loca pia cum campanilibus, campanis, claustris, dormitoriis, refectoriis, hortis, hortalitiis, et aliis necessariis officinis* sine alicuius praeiudicio *erigendi, construendi, et aedificandi,* ac Ordinum mendicantium professorias domos quas pro eis construxeris et aedificaveris recipiendi, et *ad perpetuo inhabitandum licentiam concedendi, dictasque ecclesias benedicendi,* et quoties illas earumque coemeteria per effusionem sanguinis, vel seminis, aut alias violari contigerit, aqua prius per aliquem catholicum ministrum, ut moris est, benedicendi, *reconciliandi* et etiam necessitatis tempore, super quo conscientias vestras oneramus, *carnibus et aliis cibis* tibi et sociis tuis praedictis iuxta regularia dictorum Ordinum instituta, *prohibitis libere et licite vescendi,* omniaque alia et singula in praemissis, et circa ea necessaria, exequendi, et disponendi, plenam liberam et omnimodam auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore praesentium *facultatem, licentiam, potestatem et auctoritatem concedimus pariter et elargimur.*

n. 25 - Et insuper *ut christifideles* eo libentius devotionis causa ad dictas terras et insulas confluant, quo suarum se speraverint salutem animarum adepturos, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus praedictis, *qui ad praedictas terras et insulas se personaliter,* de mandato tamen et voluntate Regis et Reginae praedictorum, *contulerint,* ut ipsi et quilibet eorum *confessorem idoneum saecularem vel regularem eligere possint, qui* eos et eorum quemlibet modo praemisso *ab*

---

illas regiones, evangelii semine iacto, excolerent, referunt historici, extantque pontificiae litterae, quibus apostolatus inter gentes novi orbis amplissimum munus illi impositum est.» *loc. cit.*

eorum criminibus, peccatis et delictis etiam dictae Sedi reservatis absolvat, ac *eorum vota* etiam *commutet,* necnon omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti et ore confessi fuerint, *indulgentiam et remissionem* ipsis in sinceritate fidei, unitate Sanctae Romanae Ecclesiae, ac obedientia et devotione nostra, et successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium persistentibus *semel in vita et semel in mortis articulo auctoritate praefata concedere valeat,* nec non *monasteriis, locis et domibus erigendis et aedificandis, et monachis et fratribus, et illis pro tempore degentibus, ut omnibus et singulis gratiis, privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, indulgentiis et indultis aliis monasteriis, locis, domibus, monachis et fratribus Ordinum, quorum illa et illi fuerint in genere concessis, et concedendis in posterum, uti, potiri, et gaudere libere et licite valeant* auctoritate praefata de specialis dono gratiae indulgemus, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII, praedecessoris nostri litteris, ne quivis Ordinum Mendicantium fratres nova loca recipere praesumant absque dictae Sedis licentia speciali, etc.

Datum Romae, apud S. Petrum anno 1493, Kal. iulii pontificatus nostri anno I [9].

7. - Adrianus VI (1522-1523) Litteris Apostolicis *Exponi nobis fecisti* Caesaraugustae, « Clarissimo in Christo Filio Nostro Carolo Romanorum Regi, et Hispaniarum catholico Regi electo » sub anulo Piscatoris, die 10 maii 1522 datis alumnis Ordinum Fratrum Mendicantium et praesertim Fratribus Minoribus Sancti Francisci strictioris observantiae, Americam sacri ministerii causa petentibus, dedit omnimodam potestatem super Indos, seclusis ta-

---

[9] Annales Ecclesiastici auctore Odorico Raynaldo Tom. XIX, a. 1493.

Tibi forte postulanti curnam in hisce Apostolicis Litteris Alexandri VI, quibus spirituales res pertractantur, de Hispaniarum Rege et Regina mentio fiat, vg: « sociis tuis... per te aut per Regem eligendis » « de mandato tamen et voluntate Regis et Reginae »; immo cur nonnulli Summi Pontifices, de iisdem pro America Latina rebus agentes, ad Hispaniarum Regem Suas Apostolicas Litteras miserint, clarissimi auctores in *Encyclopédie Catholique du monde chrétien, Bilan du Monde 1958-1959* respondent: p. 271 - « 1493: Après une bulle de démarcation promulguée par Alexandre VI, le *Traité de Tordesillas* met fin aux disputes en reconnaissant la seigneurie de l'Espagne sur toutes les terres découvertes à l'ouest de la longitude 46° 30' Ouest et celle du Portugal sur les terres à l'est du dit méridien ».

p. 203 « En 1493, le pape Alexandre VI confère aux rois d'Espagne et de Portugal *un droit de patronage* sur les missions dans les zones d'influence qu'il leur reconnaît. Au cours des 2 siècles suivant, les Antilles, l'Amérique centrale et méridionale, les Philippines, deviennent catholiques, ainsi que les enclaves portugaises de Goa en Inde (1534) et de Macao en Chine (1576). En Afrique, les régions côtières sont évangélisées ».

men actibus qui characterem episcopalem exigunt, in locis in quibus nondum Episcopatus creati fuerant.

« Et insuper, ut melius praefata conversio Infidelium fieri valeat saluti *animarum omnium, in praefatis terris Indorum pro tempore degentium* provideatur, volumus, et tenore praesentium de plenitudine potestatis concedimus, ut praefati Praelati Fratrum, et alii, quibus ipsi de Fratribus suis in dictis Indiis commorantibus, duxerint, committendum *in partibus, in quibus nondum fuerint Episcopatus creati,* vel si fuerint, tamen infra duarum dietatum spatium ipsi, vel officiales eorum inveniri minime possint, tam quoad Fratres suos, et alios cuiuscunque Ordinis ibidem fuerint ad hoc opus deputati, ac *super Indos ad fidem conversos, quam ad alios Christicolas,* ad dictum opus eosdem mittentes, *omnimodam authoritatem nostram in utroque foro habeant* tantam, quantam ipsi, et per eos deputati, de Fratribus suis (ut dictum est) iudicaverint opportunam, et expedientem, pro conversione dictorum Indorum, et manutentione, ac perfecta illorum, et aliorum praefatorum in Fide Catholica, et obedientia Sanctae Romanae Ecclesiae: et quod praefata authoritas *extendatur etiam quoad omnes actus Episcopales exercendos, qui non requirunt Ordinem Episcopalem,* donec per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum ».

« Et quia accepimus, per praefatos predecessores nostros Romanos Pontifices, aliqua indulta concessa fuerunt Fratribus existentibus, aut ire procurantibus in dictis, et ad dictas Indiarum partes, Nos omnia illa confirmando, ac (quatenus opus est) de novo concedendo volumus, ut praefati Prelati Fratrum pro tempore existentes, et quibus ipsi de suis Fratribus duxerint concedendum, *omnibus praedictis indultis in genere, vel in specie hactenus concessis, et in posterum concedendis uti, potiri, et gaudere libere,* et licite possint, et valeant, habentes omnia pro sufficienter expressa, tanquam si de verbo ad verbum inserentur. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, praesertim Sixti Quarti incipiente: *Etsi Dominici gregis,* ac Bulla *Coenae Domini,* coeterisque in contrarium facientibus quibuscumque » [10].

8. Paulus III (1534-1549), Litteris, *Alias fel. rec. Adrianus Papa VI.* « Dilecto Filio Vincentio Sunelo, Ordinis Minorum de Observantia, pro ultramontanis in Curia Romana Generali Commis-

---

[10] Bullarium Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci strictioris observantiae discalceatorum, a P. Fr. Francisco Matritensi .... elaboratum, Matriti, 1744, Tom. I, pp. 112-114.

Insuper eodem Brevi *Exponi Nobis fecisti* Benedictio Apostolica impartitur Fratribus Minoribus euntibus ad Indos pro conversione eorum; et facultas ut ex ipsis Fratribus eligatur unus Superior per triennium, et quod habeat *in utroque foro potestatem Generalis Ministri quoad Fratres: et super Indos omnimodam potestatem.*

sario », inscriptis, facultates ab Adriano VI concessas extendit ad loca in quibus Episcopatus iam erecti erant vel fuissent:

« Dum autem sicut nobis nuper exponi fecisti, in dictis Indiarum partibus plurimae Domus dicti Ordinis fundatae, et una Provincia et una Custodia secundum dicti Ordinis Minorum de Obs. instituta existant, et expediat... ut Litterae praedictae ad loca, in quibus sunt Episcopatus erecti, extendantur... Nos his, quae ad fidei augmentum et propagationem tendere possunt, favorabiliter annuentes... Litteras Adriani, Praedec. N., cum omnibus et singulis in eis contentis clausulis, ad dicta loca, in quibus sunt Episcopatus erecti vel erigentur in futurum, si Episcoporum ad praemissa accedat assensus, extendimus et ampliamus.....

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Pisc. 15 febbr. 1535 » [11].

Insuper, idem Paulus III, Const. Ap. *Altitudo, Divini Consilii*, Kalendis juniis anno 1537, data, ad fovendas « novellas plantationes ipsius Ecclesiae, quas in occidentali et meridionali India Altissimus plantare dignatus est » nonnulla statuit de baptizandis Indis et de matrimonio eorum; nonnulla vero indulsit circa abstinentiam ab illis suscipiendam et ieiunium servandum ac tandem quosnam essent dies in quibus a servilibus operibus cessare tenerentur, addens facultatem absolvendi noviter conversos a casibus reservatis.

« Altitudo divini consilii, quod humana nequit ratio comprehendere, ex suae immensae bonitatis essentia, aliquid semper ad salutem humani generis pullulans, tempore congruo et solo suo secreto ministerio, quod ipse Deus novit, opportune producit et manifestat: ut cognoscant mortales, ex suis meritis, tamquam ab ipsis, nihil proficere posse; sed eorum salutem et omne donum gratiae ab ipso Summo Deo. et Patre luminum provenire.

Sane cum sicut. non sine grandi et spirituali mentis nostrae laetitia, accepimus, quamplures incolae *occidentalis et meridionalis Indiae*, licet divinae sint legis expertes, S. Spiritu tamen cooperante, illustrati, errores, quos hactenus observarunt, penitus ab eorum mentibus, et cordibus abiecerint, ac fidei catholicae veritatem et S. Ecclesiae unitatem amplecti, et secundum ritum eiusdem Romanae Ecclesiae vivere desiderent et proponant: Nos, quibus omnes oves divinitus sunt commissae, cupientes, eas, quae extra verum ovile, quod est Christus. sunt, ad ipsum ovile, ut fiat ex illis unus Pastor et unum ovile, perdu-

---

[11] Hernaez Franciscus Xaverius, S. I., Colección de Bulas Breves y otros documentos relativos a la Iglesia de America y Filippinas, I, pp. 390-391, (Bruxelles 1879).

cere, ac sanctissimorum Apostolorum, qui nobis verbo et exemplo pastoralis officii formam tradentes, nascentis Ecclesiae infantiam lacte, provectam vero eius aetatem solido cibo nutrierunt, vestigiis inhaerendo, novellas plantationes ipsius Ecclesiae, quas in dicta *occidentali et meridionali India* Altissimus plantare dignatus est, sic donec coalescant, ut non omnia, quae per orbem Ecclesia iam firmata custodit, illis custodienda mandemus, sed tamquam parvulis in Christo, aliqua paterno affectu indulgeamus confovere. Ac *circa* eorum *regenerationes*, nonnulla, ut etiam accepimus, suborta dubia primitus submovere volentes, matura sub hoc deliberatione praehabita, auctoritate Apostolica nobis ab ipso Domino Nostro Iesu Christo, per Beatum Petrum cui, et Successoribus sui apostolatus ministerii dispensationem commisit, tradita, tenore praesentium decernimus et declaramus: illos qui Indos ad fidem Christi venientes, *non adhibitis cerimoniis, et solemnitatibus* ab Ecclesia observatis, in nomine tantum SS. Trinitatis *baptizaverunt*, non peccasse, cum consideratis tunc causis occurrentibus, sic illis bona ex causa putamus visum fuisse expedire. Et ut huiusmodi novellae plantationes, quantae dignitatis sit lavacrum regenerationis, quantumque ab illis lavacris, quibus antea in sua infidelitate utebantur, differat, non ignorent; statuimus, ut qui in posterum extra urgentem necessitatem Sacrum Baptisma ministrabunt, ea observent, quae a dicta Ecclesia observantur, oneratis super tali necessitate conscientiis eorum, extra quam quidem necessitatem, saltem haec quatuor observentur. Primum, aqua sacris actionibus sanctificetur. Secundum, Catechismus et Exorcismus fiat singulis. Tertium, sal, saliva, capella, et candela ponatur duobus vel tribus pro omnibus utriusque sexus tunc baptizandis. Quartum, Chrisma ponatur singulis in vertice capitis, et oleum Cathecumenorum ponatur super cor viri adulti, puerorum et puellarum; adultis vero mulieribus ponatur in illa parte, quam ratio pudicitiae demonstrabit. *Super* eorum vero *matrimoniis* hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures iuxta eorum mores habebant *uxores*, et non recordantur, quam primo acceperint, conversi ad Fidem *unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea Matrimonium contrahant per verba de praesenti*, ut moris est; qui vero recordantur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant. Ac eis concedimus, ut *coniuncti etiam in tertio gradu tam consanguinitatis, quam affinitatis, non excludantur a Matrimoniis contrahendis* donec huic S. Sedi super hoc aliud visum fuerit statuendum. Et *circa abstinentiam* ab illis suscipiendam etiam statuimus, quod in *Vigilia Nativitatis*, et *Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi*, et *omnibus sextis Feriis Quadragesimae ieiunare teneantur*, ceteros vero ieiuniorum dies eorum beneplacito propter novam ad Fidem eorum conversionem, et ipsius gentis infirmitatem permittimus. Ita quod ieiunium repugnans sanitati, vel non bene quadrans officio vel exercitio alicuius non censeatur illi ab Ecclesia praeceptum. Eisque etiam *concedimus*, quod quadragesimalibus et aliis prohibitis anni temporibus *lacticiniis, ovis, et carnibus*, tunc temporis dumtaxat

vesci possint, cum ceteris christianis ob aliquod sanctum opus obeundum similibus cibis vesci posse a Sede Apostolica pro tempore fuerit concessum. *Dies* autem *in quibus eos volumus a servilibus operibus cessare*, declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Nativitatis, Circumcisionis et Epiphaniae, Resurrectionis et Ascensionis, ac Corporis Domini Nostri Iesu Christi et Pentecostes; nec non Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis gloriosae Dei Genitricis Verginis Mariae ac Beatorum Petri et Pauli eius Coapostoli. Ceteros vero dies festos ex causis supradictis illis indulgemus..... ».

« ..... Et insuper considerantes maximam ipsius Indiae occidentalis, et meridionalis, a Sede Apostolica distantiam, tum vobis qui in partem Apostolicae sollicitudinis assumpti estis: quam iis, quibus super hoc vices vestras authoritate per Nos vobis super hoc concessa, specialiter duxeritis committendas, *omnes noviter conversos praedictos in quibuscumque Sedi Apostolicae reservatis casibus*, etiam in Litteris in die *Coenae Domini* legi consuetis, nihil nobis de illorum absolutionibus reservantes .... *absolvendi, plenam et liberam ... facultatem concedimus...* » [12].

Paulus III Constitutione Apostolica *Altitudo divini consilii*, 1 iunii 1537, peculiaria privilegia pro Indiis sive *occidentalibus* sive *meridionalibus* largitus est. Praefata vero dictione etiam Insulas Philippinas, a Ferdinando Magellano die 16 martii, iuxta alios die 1 aprilis 1521 inventas, comprehensas voluit, sicut patet ex Litteris a S. Congregatione de Propaganda Fide ad S. Officium transmissis [13].

10. Pius IV (*1559-1565*), Litteris Apostolicis *Ex supernae providentia Maiestatis* indulsit ut Electi ad ecclesias Cathedrales et Metropolitanas in Indiarum ditionibus consecrationem recipere valerent ab uno tantum Episcopo accitis et assistentibus duobus vel tribus presbyteris.

« Sane charissimus in Christo filius noster, Philippus, Hispaniarum rex catholicus, nobis nuper exponi fecit: Quod in Occidentalibus Indiis, Novaeque Hispaniae Regno, propter recentem illorum populorum ad fidem Orthodoxam conversionem, rarae Sedes Episcopales in tanta terrarum amplitudine adhuc institutae reperiuntur: unde fit, ut post

---

[13] Hernaez, loc. cit; pp. 65-67. cfr. Codicis Iuris Canonici Fontes, I, Romae 1923, pp. 140-142.

[12] Hernaez, loc. cit; pp. 65-67, cfr. Codicis Iuris Canonici Fontes, I, Romae Iuris Canonici Fontes, I, pp. 140-142, n. 81. Ferdinandus Magellanus in insula Caebuana ab Indis aggressus et interfectus est.

electionem Praelatorum ad illas vacantes factam, *sufficiens Episcoporum numerus, ad munus consecrationis illis exhibendum, infra tempus de consecrandis Episcopis a iure statutum, coadunari nequeat.* Quare praefatus Philippus, Rex, nobis humiliter supplicari fecit, quatenus in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur sacrorum Canonum aequitatem, a nemini ultra quam praestari possit, exigere, perpendentes, ac *omnes et singulos venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos in Indiis praefatis constitutos, qui hactenus munus praedictum, numero Praelatorum competenti ad id non adhibito, alias tamen rite susceperunt,* ob huiusmodi excessu ac suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis per eos propterea incursis, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, *absolventes,* necnon super irregularitate, si quam inde contraxerint, et quod munere praefato, sic per eos suscepto, suisque etiam Presbyteratus Ordinibus ac officio Pontificali uti, et in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare; ac suis etiam Metropolitanis et Cathedralibus ecclesiis praeesse libere et licite valeant, de specialis dono gratiae dispensantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, universis et singulis, quos ad Cathedrales, etiam Metropolitanas Ecclesias, in Indiis praefatis nunc et pro tempore institutas, illarum vacatione occurrente, canonice eligi et assumi contigerit, *ut* deinceps perpetuis futuris temporibus post eorum electionem et assumptionem huiusmodi, nullo alio sibi obstante canonico impedimento, *a quocumque maluerint catholico Antistite, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus in dignitate ecclesiastica constitutis seu* Cathedralis, aut Cathedralium, aut Metropolitanarum *canonicis, praefatum consecrationis munus recipere valeant*: ac eidem Antistiti, ut idem munus illis auctoritate praefata impendere libere possit, plenam, et liberam, auctoritate et tenore praemissis facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus...

Datum Romae apud S. Marcum sub an. Pisc. die 11 aug. 1562 » [14].

Idem Pius IV, Brevi Apostolico *Licet Ecclesia Romana* facultatem dedit sanctum Chrisma reliquasque ecclesiasticas Sancti Olei unctiones conficiendi cum balsamo quod in Occidentalibus Indiis reperiebatur adhibitoque illo ministrorum ecclesiasticorum numero quod ad id commode haberi potuisset.

« Sane charissimus in Christo filius noster Philippus ... nobis nuper exponi fecit, quod *in Occidentalibus Indiis* sibi subiectis, et ad fidem Catholicam paucis abhinc annis Domino miserante conversis, ad Sanctum Chrisma, aliasque sacras Ecclesiae unctiones iuxta Sanctorum Patrum

[14] Hernaez, loc. cit., p. 176. Hoc indultum viguit usque ad Pii XI Breve « *Litteris Apostolicis* » diei 30 aprilis 1929: cfr. infra p. 121 ss.

traditionem conficiendas, non solum magna *balsami Orientalis, sive Alexandrini penuria habetur,* sed etiam, ob recentem illorum populorum conversionem, *absolutus Ministrorum Ecclesiae numerus non facile reperitur,* unde Praesules Ecclesiarum ipsa tamen necessaria sacramenta vix hactenus conficere potuerunt. Quae tamen balsami Orientalis penuria, cum etiam in Indiis balsamum indigena reperiatur, et hoc inde balsamo commode suppleri posset, si Sedis Apostolicae ad id accederet authoritas... Nos igitur in tam uberrimo propaginum, in vinea Domini per dictum Regem, suosque progenitores, feliciter inventarum, proventum, spiritualiter exultantes, et novellas huiusmodi plantas, amoenis charitatis et gratiarum imbribus irrigare et confovere, volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis per universas Indiarum earumdem partes constitutis, ut *sanctissimum Chrisma, reliquasque ecclesiasticas Sancti Olei unctiones huiusmodi, cum eo, quod in partibus illis reperitur, balsamo, ac illo ministrorum Ecclesiasticorum numero; qui ad id commode haberi poterit, adhibito,* in reliquis vero iuxta praefatum Ecclesiae Romanae ritum, *conficere, et consecrare libere et licite valeant,* plenam et liberam licentiam, et facultatem, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus, non obstantibus...

Datis Romae apud S. Marcum sub an. Pisc. die 12 aug. 1562 » [15].

11. Pius V (*1566-1572*) Apostolicis Litteris *Decens et debitum arbitramus* absolvendi quascunque personas in partibus Indiarum existentes, a delictis per quae irregularitas contrahitur ac easdem dispensandi super irregularitate huiusmodi, licentiam et facultatem his verbis concessit:

« Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis partium illarum (Indiarum) quascunque personas a delictis, per quae irregularitas contrahitur (homicidio voluntario extra bellum commisso, ac symoniae labe dumtaxat excepta) Apostolica auctoritate absolvendi, ac cum eisdem omnibus, et singulis, nunc, et pro tempore in partibus Indiarum exsistentibus personis, quae irregularitatem ex aliis, quam ex causis praedictis contraxerint, super irregularitate huiusmodi ex quibuscumque causis praeterquam homicidii, et symoniae occasione contracta, ut praefertur, eadem Auctoritate Apostolica dispensandi, et illos ad obtenta Beneficia Ecclesiastica, et officia quaecumque etiam ad Altaris ministerium rehabilitandi, restituendi, et reponendi, plenam et amplam licentiam, et facultatem auctoritate praedicta, perpetuo per praesentes concedimus, et elargimur ... Non obstantibus .....

Datum Romae apud S. Petrum sub an. Piscatoris die 4 aug. 1571 » [16]

---

[15] Hernaez, loc. cit., p. 181.

[16] Hernaez, loc. cit., pp. 184-185.

Pariter Summus Pontifex Pius V, spirituali Indorum bono consulere sategit Motu proprio *Cum sicut accepimus* quo privilegia circa confessionem et absolutionem illorum largitus est [17].

Idem Pius V auctor extat Brevis *Digna reddimur attentione solliciti*, quo necessitatibus in sacramentorum confectione occurrentibus consulere voluit. Revera vestigia Decessoris Pii IV sequutus, adhibendi in confectione S. Chrismatis liquore seu succo, mira odoris fragrantia, qui in partibus Indiarum invenitur et communiter pro vero balsamo habetur, facultatem dedit. Aiebat Summus ille Pontifex:

« 1. Expositum siquidem Nobis nuper fuit, quod in partibus Indiarum, ubi Antistites commorantur, non invenitur, nec inveniri potest balsamum, vel oleum ex balsamo, ad conficiendum sacrum Chrisma necessarium; reperitur autem quidem liquor, seu succus, mira odoris fragrantia, et ad lavanda vulnera admodum conducens, qui communiter habetur pro vero balsamo, praestat enim effectus, quos Balsamum ab Alexandria allatum praestitisse perhibetur.

2. Quare iidem partium Indiarum Praesules Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis de aliquo opportuno remedio providere de benignitate Apostolica dignaremur.

3. Nos igitur necessitatibus huiusmodi consulere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tam Archiepiscopis, quam Episcopis illarum partium et pro tempore in ipsis partibus commoraturis Antistitibus, ut de coetero perpetuis futuris temporibus, in confectione S. Chrismatis dicto liquore, seu succo in locum balsami, uti libere, et licite possint, amplam licentiam, et facultatem, Apostolica Auctoritate, tenore praesentium concedimus, et desuper indulgemus ac dicto Sancto Chrismati, cum dicto succo, rite tamen confecto, tantam fidem adhibendam esse, ac si in illo Balsamus intervenisset.

Datum Romae apud S. Petrum sub an. Pisc. 2 aug. 1571 » [18].

Tandem peculiari mentione dignum certissime aestimamus decretum eiusdem Pii V diei 2 augusti 1573, quo, ad spiritualem salutem Indorum noviter ad fidem conversorum comparandam, et ad quamcumque haesitationis aut scrupulorum causam abiiciendam declaratur:

« Indi, sicut praemittitur baptizati, et in futurum baptizandi cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant, tanquam cum uxore legitima, aliis dimissis ... matrimoniumque huiusmodi inter eos legitime consistere » [19].

---

[17] Hernaez, loc .cit., pp. 96-97.

[18] Hernaez, loc. cit., p. 182.

[19] Collectanea S. C. de Propaganda Fide, Romae 1907, I pp. 493 s. in nota.

12. Plurima spiritualia bona Indi a sollicita vigilantia Gregorii XIII (*1572-1585*) repetere debent.

1). Episcopos in Indiarum partibus pro tempore existentes peculiaribus facultatibus et licentiis cumulavit ad absolvendos Indos ab haeresi, schismate et idolatria nec non ab omnibus casibus Sedi Apostolicae quomodolibet reservatis, Litteris Apostolicis *Cum, sicut exponi Nobis* diei 1 ianuarii 1573:

« ... Quocirca per praesentes declaramus mentis nostrae non fuisse, nec esse, per quascumque nostras litteras, ut praefertur, emanatas, facultates eorumdem Archiepiscoporum, et Episcoporum circa huiusmodi absolutiones restringere, suspendere, seu revocare, ac potiori pro cautela, Indisque praedictis utriusque sexus in eorum necessitatibus sollicita nostra vigilantia subvenire cupientes, ac litterarum praedictarum quarumcumque tenores praesentibus, pro sufficienter expressis et insertis habentes, eisdem Archiepiescopis et Episcopis in Indiarum partibus nunc et pro tempore degentibus, ac ab eis subdelegandis quascumque facultates, per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros et Nos, circa absolutiones eorumdem Indorum tenore praesentium revocamus, et quatenus opus sit, illas eisdem denuo concedimus, ita ut, tam earumdem priorum quam praesentium litterarum virtute *quoscumque utriusque sexus Indos*, ac a Mauris et Indianis, ac Indianis et Mauris genitos, *a crimine haeresis et schismatis et idolatriae, necnon ab omnibus casibus Nobis et Sedi Apostolicae quomodolibet*, etiam in Bulla in die *Coenae Domini* per Romanos Pontifices legi solita contentis, *reservatis, in utroque foro absolvendi et totaliter liberandi*, iniuncta eis pro modo culpae aliqua poenitentia salutari, *licentiam et facultatem*, Apostolica auctoritate tenore praesentium, *concedimus* et *impertimur*..... » [29].

2). De appellatione a sententiis, de requisitis ut sententia in rem iudicatam transiret, et de exsecutione eiusmodi sententiae normas dedit, Litteris Apostolicis, « *Exposcit debitum Pastoralis officii*... » ut sequitur:

« 2. Nos qui populorum quorumlibet quietem, et commodum, quantum cum Domino possumus, libenter procuramus, eundem Philippum Regem a quibusvis excomunicationis, suspensionis, et interdictis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati volumus et Apostolica Auctoritate decernimus, quod in omnibus Regnis, Terris et Dominiis Indiarum Terrae Firmae et insularum Maris

[29] Hernaez, loc. cit., pp. 88-89.

Oceani, et alias quomodocumque et qualitercumque nuncupatis dicto Philippo Regi mediate, vel immediate subiectis, *quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum Ecclesiasticum concernentibus a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si sententia ab Episcopo lata, ad Metropolitanum.*

3. *Si vero prima sententia ab ipso Metropolitano promulgata fuerit, ad Ordinarium viciniorem* absque alio Sedis Apostolicae rescripto *appelletur,* et in secunda sententia primae sententiae conformis *vim rei iudicatae obtineat,* et *exsecutioni* per eum, qui eam tulerit, quacumque appellatione non obstante, *demandetur; si vero illae duae,* sive ab Ordinario, et Metropolitano, sive a Metropolitano, et Ordinario viciniore latae *conformes non fuerint,* tunc *ad alterum* Metropolitanum, vel Episcopum ei, a quo prima lata fuit sententia, viciniorem, eiusdem provinciae Episcopum, *appelletur,* et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas etiam vim rei iudicatae habere volumus, *is, qui ultimo loco iudicaverit exsequatur,* quacumque appellatione non obstante.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die 15 Maii 1573 »[21].

3). Episcopis, ob maximam sacerdotum qui idioma Indorum scirent penuriam, potestatem dispensandi super defectu natalium ut quis posset ad sacros ordines accedere concessit:

« *Nuper ad Nos relatum est,* maximam sacerdotum, qui idioma Indorum sciant, penuriam, in vestris partibus exsistere, et communiter verbum Dei cum interpretibus ipsis Indis annuntiandum esse, propter quod verbum Dei non modicum patitur detrimentum, ac inde peccata sua confiteri non valent; quod si cum filiis ex Hispanis et Indis, ac ex Hispanis tantum in illis partibus commorantibus, *spuriis et illegitimis genitis aut quemlibet alium defectum patientibus,* nunc et pro tempore exsistentibus, Apostolica auctoritate dispensaretur, *ut defectibus huiusmodi non obstantibus ad omnes, etiam sacri Presbyteratus, ordines promoveri possint,* verbum ipsum maximum susciperet incrementum ac saluti animarum Indorum praedictorum plurimum consultum foret. Nos igitur praemissis causis adductis, fraternitati vestrae et vestrum unicuique, quatenus unusquisque vestrum, consideratis prius diligenter circumstantiis universis, quae circa idoneitatem promovendorum fuerint attendendae, cum praedictis, defectum, ut praefertur, patientibus, dioecesanis scilicet vestris... clericali charactere insigniri, ad omnes etiam sacros et Presbyteratus ordines promoveri, et in illis sic promoti, ut in altaris ministerio, et verbum Dei praedicare et confessiones audire possint, gratis dispensare valeatis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem concedimus. Non obstantibus...

Datum Romae apud S. Petrum, die vigesimaquinta ianuarii 1576 »[22].

---

[21] Hernaez, loc. cit., pp. 188-189 (cfr. Bull. Rom., tom. IV, part. 3, pag. 227).

[22] Hernaez, loc. cit., pp. 222-223.

4). Apostolicis Litteris *Provisionis nostrae* Ordinariis locorum super quocumque seu quibusvis a iure divino non prohibitis impedimentis consanguinitatis vel affinitatis gradibus vel aliis coniunctis, neophytos etiam in foro iudiciali infra viginti annos facultatem dedit.

Provincialibus vero Societatis Jesu et Presbyteris ab eis deputatis:

a) in locis ubi Ordinarii facile adiri possunt in foro conscientiae tantum, perpetuo;

b) in provinciis Ordinariorum praesentia destitutis vel ab eis remotis in utroque foro in supra memoratis impedimentis dispensandi infra viginti annos, facultatem dedit una cum potestate neophytos aliis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis absolvendi et prolem inde susceptam vel suscipiendam legitimam declarandi:

« Exponi siquidem nobis nuper fecistis, quod licet dudum percertum Romanum Pontificem, praedecessorem nostrum, facultas neophytis Indiarum aliarumque Orientalium regionum, quas ibi verbum Dei seminando, caliginosasque brachmanuum suorum tenebras evangelici lampadis fulgore collustrando, et idolorum templa, quae Pagodas vocant, in sanctissimas Summi Dei ecclesias consecrando, iam pridem peragrare non cessatis, ut etiam in omnibus gradibus, a jure divino non prohibitis, invicem conjunctis, matrimonialiter copulari valeant, in foro conscientiae dispensandi, vivae vocis oraculo, concessa fuerit; quia tamen nihil de hoc in scriptis apparet, veremini, ne aliqui locorum Ordinarii vel eorum in spiritualibus Vicarii vestrae super hoc assertioni non acquiescentes ad personarum ita coniugatarum separationem aliquando procedere velint, in grave plantationis huius novellae, quae ob eius, partim naturalem inclinationem, partim parcitatem, vix intra primi gradus consanguinitatis limites se continet, scandalum. Quare Nobis humiliter supplicari fecistis, quatenus vobis huiusmodi facultates per Litteras nostras concedere, eamque ad forum exteriorem in illis partibus, ubi nullus omnino reperitur Episcopus, prout sunt Sinarum, Giappone, Inguambane, Giafanapatan, Imperii Monopotapa, Angolaeque regiones, et aliae Lybiae, Ethiopiae, interioris *et utriusque Indiae provinciae* ad quas, aliasque idolatrarum nationes, salutiferae crucis vexilla et regenerantis aquae baptismus, sanctumque Domini et Dei nostri Jesu Christi evangelium per intrepidum charitatis et praedicationum vestrarum ministerium, Domino miserante penetraverunt; ac etiam ad alias partes, unde Indiae Praelati commode adiri nequeunt, extendere, ac alias infrascriptis necessitatibus subvenire, de benignitate apostolica dignaremur.

Nos igitur plantas illas tenellas, solidioris cibi nondum capaces, quasi lacte, donec ea, quae parvulorum sunt, evacuent, coalendas esse censentes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vobis, ut

vestrae Societatis Provinciales, vel ab eis deputatis Presbyteri, cum eiusdem Neophytis *in quocumque seu quibusvis a jure divino non prohibitis consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel aliis coniunctis,* ut impedimentis huiusmodi non obstantibus, matrimonium inter se contrahere et solemnizare, seu in jam, etiam scienter, contractis matrimoniis huiusmodi remanere valeant, *in partibus videlicet ubi Ordinarii facile adiri possunt, in foro conscientiae tantum, perpetuo. Et* insuper ibidem *infra tamen viginti annos proxime futuros tantum,* quod *ipsi locorum Ordinarii* de presbyterorum eorundem tanquam adjutorum suorum et assessorum, in locis ubi eorum poterit commode haberi copia, consilio, *cum illis etiam in judiciali foro;* in *reliquis autem provinciis Ordinariorum praesentia destitutis vel ab eis remotis* quod iidem Provinciales et deputati Presbyteri cum eisdem Neophytis, *etiam in utroque foro,* auctoritate apostolica gratis dispensare, necnon eos qui in gradibus prohibitis huiusmodi, etiam scienter, contraxerint, ab istis excessibus, ac excommunicationis, *aliisque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis* per eos propterea incursis, *in utroque similiter foro,* iniuncta eis pro modo culpae poenitentia salutari *absolvere, ac prolem inde susceptam vel suscipiendam legitimam decernere* » [23].

5). Iisdem pariter Litteris presbyteris Societatis Jesu Eucharistiae fragmenta seu minutias, quae vel super corporalia vel alias in altaris ministerio forte intercidant, etiam post peractum sacrificium, sumendi facultatem concessit:

« Et praeterea quoniam Presbyteris etiam sollicitis et diligentibus accidere potest, ut illis in fractione Sacrosanctae Eucharistiae vel alias dum in altaris ministerio celebrant, *aliqua Eucharistiae fragmenta seu minutiae intercidant, quod ipsi Societatis Presbyteri, tam in dictis partibus, quam alibi ubilibet constituti,* quibus huiusmodi minutiae vel super corporalia vel alias pro tempore interciderint, illis etiam post peractum sacrificium absque ullo conscientiae scrupulo *reverenter sumere et deglutire libere et licite valeant,* plenam et liberam facultatem, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Datum Romae 28 novembris 1576 » [24].

6). Litteris *Populis ac Nationibus,* diei 25 ianuarii 1585, Ordinariis locorum, parochis et presbyteris Societatis Jesu ad confessiones audiendas adprobatis facultatem dispensandi quoslibet utriusque sexus christifideles, incolas dictarum regionum et servos ad fidem conversos, qui ante baptisma susceptum matrimonia contraxerant, ut eorum quilibet, etiam superstite coniuge, et eius con-

---

[23] Hernaez, loc. cit., pp. 121-122.

[24] Hernaez, loc .cit.

sensu minime requisito, aut responso non expectato, matrimonium cum quovis fideli contrahere valeret.

« ... Quoniam igitur saepe contingit, multos, utriusque sed praecipue virilis sexus, infideles, post contracta gentilia matrimonia, ex Angola, Aethiopia, Brasilia et aliis Indicis regionibus ab hostibus captos, a patriis finibus, et propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari, adeo ut, tam ipsi captivi, quam qui in patria remanentes, si postea ad fidem convertantur, coniuges infideles, tam longo locorum intervallo disiunctos an sine contumelia Creatoris secum cohabitare velint, moneri (ut fas est) nequeant, vel quia interdum ad hostiles et barbaras nationes, provincias, nec nuntiis quidem accessus patet, vel quia ignorent prorsus in quas regiones fuerint transvecti, vel quia ipsa itineris longitudo magnam offerret difficultatem; idcirco, Nos attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint, talium enim gentium infirmitatem paterna pietate miserati: *universis et singulis dictorum locorum Ordinariis et Parochis, et Presbyteris Societatis Jesu, ad confessiones audiendas ab eiusdem Societatis Superioribus approbatis,* et ad dictas regiones pro tempore missis vel in illis admissis, plenam, authoritate Apostolica, *concedimus facultatem,* tenore praesentium, *dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus* Christifidelibus incolis dictarum regionum et servis ad fidem conversis, *qui ante baptisma susceptum matrimonia contraxerunt; ut eorum quilibet, etiam supersitite coniuge infideli, et eius consensu minime requisito, aut responso non expectato, matrimonia, cum quovis fideli, alias tamen rite contrahere, et in facie Ecclesiae solemnizare,* et in eis postea carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licite valeant, dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter, coniugem (ut praefertur) absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus, in eadem monitione praefixum, suam voluntatem non significasse: *quae quidem matrimonia,* etiamsi postea innotuerit, coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus *rescindi nunquam debere, sed valida et firma, prolemque inde susceptam et suscipiendam legitimam fore decernimus* » [25].

13. Paulus V (*1605-1621*). Litteris Apostolicis *Exponi nobis,* Romae apud S. Marcum, sub anulo Piscatoris die 28 aprilis 1609, datis, Indiae Occidentalis christifidelibus largitus est dispensationem ab onere accedendi ad Domini Mensam ad lucrandas indulgentias quae Communionem requirunt. Ratio est quia « Indi ad fidem recenter conversi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum raro suscipiunt » [26].

---

[25] Hernaez, loc. cit., pp. 77-78.

[26] Hernaez, loc. cit., pp. 93-94.

14. Quod privilegium URBANUS VIII (*1623-1644*), die 13 martii 1634 Litteris Apostolicis *Provisionis nostrae* in forma Brevis, Romae apud S. Marcum datis, confirmavit [27].

Praeterea URBANUS VIII, Litteris Apostolicis *Cum sicut accepimus,* apud S. M. Maiorem sub anulo Piscatoris die 17 septembris 1629 datis, in favorem Neophytorum. « ...in quibusvis Orientis, Brasiliae, Peru, Novae Hispaniae, et aliis ultramarinis Regionibus » exstantium, peculiares facultates matrimoniales concessit, aliasque, ibidem confirmavit: « ad viginti tamen annos a fine aliorum viginti annorum, ad quos similes gratiae a fel. rec. Paolo V praedecessore nostro concessae fuerunt inchoandos »... [28].

Pariterque URBANUS VIII, perpessus Indos « ob eorum multitudinem et confessariorum penuriam inibi vigentem, peccata sua infra breve tempus confiteri minime possint », Litteris *Cum sicut dilecti filii,* diei 16 aprilis 1630, indulsit ut ipsi Communionis Paschalis praecepto satisfacere possent a dominica Septuagesimae ad octavam festi Sanctissimi Corporis Christi inclusive:

... « Nos qui omnium Christifidelium saluti pro pastorali nostra sollicitudine iugiter invigilamus, exponentes praefatas spiritualibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excomunicationis, etc. Supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, et ex sententia nonnullorum Romanae Curiae Praelatorum hac super re specialiter a Nobis deputatorum; quod in Regnis praefatis tam Indi, quam mestizi vulgo nuncupati vel ab Indis et Europeis geniti; nec non Aethiopes, seu Mauri, et mulati etiam vulgo nuncupati, vel qui ab Europeis et Mauris nati sunt, *Praecepto Ecclesiae de confitendo peccata sua, et sumendo Eucharistiae Sacramento quotannis, possint a Dominica Septuagesimae usque ad, et per totam octavam festi Sanctissimi Corporis Christi* satisfacere, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus »... [29]

15. Nec praetermittendas esse censemus Litteras Apostolicas *Animarum saluti* diei 30 martii 1690, quibus ALEXANDER VIII (*1689-1691*), spiritualia auxilia neophytis et christifidelibus in America Latina versantibus afferre sategit.

1). Et primo quidem recolimus Indulgentiam plenariam a chri-

---

[27] Hernaez, loc. cit., pp. 94-95.
[28] Hernaez, loc. cit., pp. 128-129.
[29] Hernaez, loc. cit., p. 92.

stifidelibus lucrandam quoties « aliquem ad veri Dei cognitionem reduxerint »:

« Omnibus Christifidelibus in quibuscumque Indiis aut Sinarum regione vel Brasilia constitutis praesentibus et futuris, vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Comunione refectis, quoties aliquem ex infidelitate, et idolatria ad veri Dei cognitionem reduxerint, *plenariam . . . . . indulgentiam elargimur* » [30].

2) Veniam dein ad facultates, quae redolent illas a Gregorio XIII Litteris apostolicis *Provisionis nostrae* concessas, a quibusdam impedimentis matrimonialibus dispensandi.

« ... Praeterea eiusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputandis presbyteris cum Neophytis Provinciarum, utriusque Indiae aliarumque maris Oceani regionum, in quibus inter infideles fideles existunt, et non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas, iuxta Constitutionem fel. rec. Pauli III editam existunt *in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, vel alias coniunctis*, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto, remanere valeant *in foro conscientiae tantum* gratis tamen *dispensandi*: et insuper ibidem locorum Ordinariis, ut de presbyterorum eorumdem tanquam adiutorum, et assessorum suorum in locis praedictis, et ubi eorum commode potuerit haberi copia, consilio, et cum illis etiam *in iudiciali foro*, in reliquis autem provinciis praefatis Ordinariorum praesentia destitutis, vel ab eis ultra duas dietas praedictas, non minus ducentis millibus passuum remotis, Provincialibus et deputatis presbyteris praedictis, cum eisdem Neophytis, non tamen in primo gradu, *in utroque foro* gratis *dispensandi* et eos qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi... » [31].

3) Referam autem indulta: Missam celebrandi vel super altare portatili, vel per horam ante lucem, vel post meridiem; et Oleis Sanctis per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis, utendi.

« ..... Possint etiam extra Ecclesias consecratas *super Altaribus portatilibus* in loco tamen decenti, ubi non est commoditas Ecclesiarum, et in casu necessitatis tantum, etiam per horam ante lucem, vel *etiam*

---

[30] Hernaez, loc. cit., p. 125.
[31] Hernaez, loc. cit., p. 126.

post meridem in eisdem regionibus, cum opus fuerit, *celebrare*, et in Maluco, Jappone, et aliis Insularum Terrarum, provinciarum, et locorum praedictorum partibus, et locis a quibus valde remoti sunt Episcopi *Oleis Sanctis per duos, vel tres, aut quatuor annos ante consecratis, libere uti possint.....* » [32].

4) Tandem, ad removendam quamlibet dubitationis aut haesitationis causam, quos veniant sub nomine « neophytorum » indicavit.

« Et insuper, quia a nonnullis dubitatum, seu haesitatum fuit, an omnes indigenae illarum Regionum oriundi, et naturales, et Christianorum Indigenarum etiam baptizatorum filii etiam in eorum infantia baptizati iure Neophyti appellari possint; idcirco tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus, omnes oriundos, seu naturales supradictorum omnium tam Orientalium, quam Occidentalium partium, imo etiamsi Aethiopes, Angulani, vel quarumvis aliarum Transmarinarum Regionum, etiamsi Christianorum filii, et in infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum Europaeis mixtim progeniti sint, ad concessionis huiusmodi effectum esse et *intelligi debere Neophytos.....* » [33].

16. Recolentes Summum Pontificem Clementem XI (*1700-1721*) innuere sufficiat Ipsum facultates pro America Latina a Decessoribus largitas confirmasse et prorogasse Brevi Apostolico *Animarum saluti* diei 22 septembris anni 1707, quo omnibus Christifidelibus in quibuscumque Oceani Indiis, aut Sinarum regione vel Brasilia constitutis, praesentibus vel futuris, indulgentias et privilegia tribuit.

17. Clemens XII (*1730-1740*) Litteris Apostolicis *Cum dudum* Romae apud S. Mariam Maiorem, die 9 septembris a. 1734, datis, Provincialibus S. J. vel presbyteris ab eis deputatis, in spirituale Neophytorum Indorum bonum prorogavit facultates, quas Pius IV (15 iunii 1563) ac novissime, nempe die 9 iunii 1701, rec. mem. Clemens XI « ad viginti annos tunc proximos per suas respective in eadem forma Brevis litteras sub certis modo, et forma in illis expressis inter alia prorogaverit, seu de novo concesserit... Praesentibus ad viginti annos a die illarum datae computandos tantum duraturis... » [34].

---

[32] Hernaez, loc cit., p. 127.
[33] Hernaez, loc. cit., pp. 127-128.
[34] Hernaez, loc. cit., pp. 130-131.

18. Benedictus XIV (*1740-1758*), quum incommodis consulere voluisset, quae obvenerant ex eo quod nonnulli Indiarum Antistites diem supremum obirent facultatibus, quae iuxta Formulas ab Apostolica Sede singulis Archiepiscopis et Episcopis memoratarum regionum concedi solebant, nemini delegatis, easdem facultates — non tamen illas quae Ordinem Episcopalem requirunt — Vicariis Capitularibus intra fines dumtaxat uniuscuiusque dioeceseos exercendas, tribuit; superaddita vero potestate calices, patenas et altaria portatilia consecrandi.

Ut res tota clarius pateat, afferam Epistolam Encyclicam S. C. de Propaganda Fide, Romae datam die 16 Februarii 1743, in qua expressa mentio « Formularum facultatum » habetur.

« Quamvis in calce *Formulae facultatum,* quae ab Apostolica Sede singulis Archiepiscopis Indiarum tam Orientalium quam Occidentalium, concedi solent, expresse legatur eorum unicuique tributa potestas easdem facultates communicandi, non tamen illas, quae requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine sacrorum Oleorum usum exercentur, sacerdotibus idoneis qui in eius dioecesi laborabunt, ei praesertim tempore sui obitus, ut Sede vacante sit qui possit supplere donec eadem Sedes Apostolica certior facta alio modo provideat. Nuperrime tamen huic S. Congregationi De Propaganda Fide innotuit non semel contigisse quod nonnulli ex praefatis Antistibus, vel inopina morte praerepti, vel memorata potestate non attenta, e vivis excesserint, ante dictis Facultatibus nemini delegatis. Cumque ex eiusmodi praetermissa comunicatione... plurima et non levia incommoda illarum dioecesum animabus obvenerint, propterea quod *durante tempore Sedis Vacantis, aut saltem donec supervenerit Apostolica provisio,* nemo fuerit, qui earum indigentiis posset pro opportunitate subvenire, et potissimum quoad dispensationes matrimoniales, adeo ut eam ob causam plerique, peccatorum vinculis miserrime alligati prontoque destituti remedio, non sine evidenti aeternae salutis discrimine interierint: hinc est, quod SS. Dominus Noster Benedictus D. P. PP. XIV, Populorum illorum ab hac Sancta Sede remotissimorum incolumitati, eorumque animarum necessitatibus pro pastoralis officii sui cura prospectum esse cupiens, de Eminentissimorum Patrum in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum consilio benigne indulsit ut in posterum, quoties praefatarum Ecclesiarum pro tempore Antistes decesserit non communicatis facultatibus in antedicta Formula contentis et cum limitationibus in ea expressis, alicui idoneo probatoque Sacerdoti, ab illo exercendis quamdiu Archiepiscopalis seu Episcopalis Sedes vacans fuerit, et usque ad novam provisionem Apostolicam, ut supra; *in eo tantum casu et non aliter, Vicarius Capitularis legitime electus illas libere, et licite, et intra fines dumtaxat illius dioecesis, exercere tamquam Delegatus possit et valeat, iis tamen exceptis ad*

quorum usum Episcopalis ordo requiratur, superaddita quoque eidem Vicario C. potestate consecrandi, quandocumque necessitas urgeat, calices, patenas, et altaria portatilia, cum Oleis sacris ab Episcopo benedictis... » [35].

19. Clemens XIII (*1758-1769*) Litteris diei septembris 1776, gratiam prorogationis facultatum, quae fere eaedem erant ac illae quas Alexander VIII Brevi *Animarum saluti* largitus est, his verbis impertivit: « Praesentibus ad viginti annos a fine aliorum viginti annorum, ad quos consimiles gratiae a fel. rec. Benedicto Papa XIV, praedecessore Nostro, concessae fuerunt, inchoandos tantum valituris » [36].

20. Pariter Clemens XIV (*1769-1747*) Apostolico Brevi *In Apostolicae dignitatis fastigio,* Romae apud S. Mariam Maiorem die 27 martii a. 1770 dato « Venerabilibus Fratribus Antistitibus Ditionum Indiarum, charissimo in Christo Filio nostro Carolo, Hispaniarum Regi Catholico, in America subiectarum » inscripto « licentiam, et facultatem ad viginti annos proximos, tantum a data praesentium computandos, duraturam, auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium » concessit, et impertitus est [37].

21. Pius VII (*1800-1823*) Brevi Apostolico *In supremo militantis Ecclesiae,* ex Arce Gandulphi sub anulo Piscatoris die 10 maii 1816 dato, facultatem de quibus infra gratiam confirmationis et prorogationis « ad viginti annos proximos tantum a die cessationis ultimae prorogationis computandos duraturam » concessit:

... « die 27 martii 1770 fel. rec. Clemens PP. XIV Praedecessor noster in simili forma Brevis per Litteras expeditas Fraternitatibus vestris *facultatem dispensandi, tam quoad matrimonia contracta quam quoad alia contrahenda in quocumque, seu quibusvis consangunitatis, et affinitatis gradibus, vel alias coniunctis, seu inter se attinentibus dummodo nullo modo attingerent primum, aut etiam in primo gradu affinitatis ex copula tamen illicita resultantis, sive per lineam collateralem sive per lineam rectam, quatenus certo constet, quod coniux non sit proles ab altero contrahentium genita, ad viginti annos concessit, et indulsit, et*

---

[35] Collectanea S. C. de Prop. Fide, I, p. 147, n. 341 et Hernaez, loc. cit., pp. 243-244.

[36] Hernaez, loc. cit., pp. 144-148. Litterae Benedicti XIV quibus innuitur sunt *Cum Venerabilis Frater* diei 27 mensis ianuarii 1757. Cfr. Hernaez, loc. cit., pp. 131-138.

[37] Hernaez, loc. cit., pp. 226-227.

quod rec. mem. Pius PP. VI, Praedecessor itidem noster precibus cla. mem. Caroli, dum vixit, Regis Catholici annuens, per alias in simili forma Brevis 23 iulii 1778 expeditas litteras, ut spirituali animarum necessitati magis magisque consuleret, *facultatem dispensandi in tertio pariter, et secundo cum attingentia primi gradus affinitatis tantum in linea transversali* ad decennium extendit, et ampliavit, prout in praecitatis litteris, quarum tenore praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur; quodque tandem easdem facultates idem Pius Praedecessor Noster per alias in simili forma Brevis die 11 septembris 1789 expeditas litteras *ad alios viginti annos extendit ac prorogavit...* » [38].

Haec in tot documentorum serie innuisse sufficiat.

22. Antequam autem agamus de privilegiis a Leone XIII concessis liceat pauca verba addere de rationibus, quibus motus, ille Summus Pontifex Litteras Apostolicas *Trans Oceanum* dedit.

Facultatibus supra memoratis freti, Missionarii, praesertim in locis in quibus immigrati ex Europa sedem suam collocaverant, brevi interiecto annorum spatio, ecclesias et paroecias excitaverant, monasteria condiderant, scholas aperuerant dum pari gressu Romani Pontifices dioeceses ceterasque ecclesiasticas circumscriptiones erexerant.

Insuper temporis decursu immutatisque locorum circumstantiis evenit ut, antiquis privilegiis vel ex parte abrogatis vel per determinatas formulas sive singulis Americae Latinae Episcopis sive pro extraordinaris casibus concessas, auctis, difficultates exorirentur circa naturam, vigorem et numerum privilegiorum.

Ad haec amovenda incommoda Pius IX Litteris Apostolicis *Non multis* datis die 1 octobris anni 1867 multa ex antiquis privilegiis per plures Decessores Pontifices concessis, Indis sive indigenis Republicae Aequatoris, propter indigenarum hebetudinem, ignorantiam et abiectionem, ad triginta annorum spatium confirmavit seu, quatenus opus fuerat, denuo concessit [39].

23. Non latuit vero Leonem XIII easdem difficultates adhuc exstare praesertim quum anno 1897 facultates a Pio IX, Litteris mox memoratis, concessae desinerent. « Quum ex monumentis ecclesiasticis Americam Latinam respicientibus — ait Summus Pontifex Leo XIII — quae magna peritorum diligentia collecta atque investigata sunt, probe constet multa ex privilegiis Indiae Occidentali concessis partim haud vigere partim in dubium esse revocanda ».

---

[38] Hernaez, loc. cit., pp. 231-232.

[39] Pius IX, Diversorum 1. XVIII, sept.-dec. 1867, p. 207 Cancellaria Brevium.

Proinde, Sanctissimus Dominus, ad tollendas in re tanti momenti perplexitates et angustias animi, totum dictorum privilegiorum negotium, speciali Patruum Cardinalium Congregationi definiri iussit. Ac tandem novorum privilegiorum catalogum ab illa speciali Congregatione confectum, apostolica auctoritate probatum, ad triginta annorum spatium valiturum pro omnibus Americae Latinae singulisque dioecesibus et ditionibus Litteris Apostolicis *Trans Oceanum* die solemni Paschae, 18 Aprilis 1897, edidit, « abrogatis deletisque Auctoritate nostra Apostolica, omnibus et singulis Indiarum occidentalium privilegiis quocunque nomine vel forma ab hac S. Sede concessis ».

24. - Quum autem in apostolicis Litteris *Trans Oceanum* praesertim sub numeris X. XI. XII. XIII. et in aliis antiquioribus pontificiis documentis sermo de Indis et Nigritis habeatur operis praetium pariter censemus hic recolere declarationem datam, hac in re, a S. Congregatione de Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis *Ex Audientia SS.mi diei 24 maii 1898:*

« Nomina *Indorum* et *Nigritarum* eadem significatione sumi ac in ceteris praecedentibus Constitutionibus Pontificiis de hac materia agentibus, speciatim in Constitutione Alexandri VIII « *Animarum saluti* » diei 30 Martii 1690 et Benelicti XIV « *Cum Venerabiles* » diei 27 Ian. 1757, videlicet: 1. sub nomine *Indorum et Nigritarum,* praeter ipsos indos et nigritas, comprehendi etiam eos qui ex indo aut nigrita et ex muliere europaea (vel europaei sanguinis), necnon qui ex europaeo viro et indica vel nigrita muliere sunt progeniti, ideoque *mixti, mixtitii* vel *mulati* vocantur, et absolutam medietatem sanguinis europaei habent. Non autem comprehendi eos qui originem ab Indis vel Nigritis ducunt per avum tantum vel aviam, quique *quarterones* dicuntur, utpote quartam solummodo partem sanguinis indici vel nigritae habentes; et multo minus qui vel proavum vel proaviam dumtaxat, ab Indis vel Nigritis originem trahunt, et vulgo *puchueles* vel *pucueles* appellantur.

2. Insuper *Indorum* et *Nigritarum* nomine intelligi etiam africanos, asiaticos et oceanios, dummodo ex europaeo sanguine non sint, ac in America Latina commorentur, quamvis in ea nati non fuerint. Ita Sanctitas Sua publicari et servari mandavit contrariis quibuscumque minime obfuturis [40] ».

---

[40] Collectanea S. C. de Prop. Fide, II, 356.

Hoc sensu iuridico dictum sit. Communiter vero loquendo sub nomine « Indorum » in America Latina et in Insulis Philippinis veniunt gentes nativae; sub nomine vero « nigritarum » illi qui a saeculo XV exeunte ad initium saeculi XIX usque, ex Africa, ex sua patria et domo, tanquam captivi vel servi illuc deportati sunt: « Les *populations primitives* ont subi un

25. Anno 1898 ex parte nonnullorum Antistitum coloniarum maris Antillarum, propositum fuit dubium de vigore, in territorio suae iurisdictioni subiecto, Litterarum Apostolicarum *Trans Oceanum*. Summus Pontifex Leo XIII declarandum esse censuit: Praefatas Litt. Ap. *Trans Oceanum* vigorem habere in omnibus Antillis et ceteris insulis maris Caraibicis, cuicunque civili ditioni subiciantur [41].

26. Anno 1910, privilegia Americae Latinae Litteris Apostolicis *Trans Oceanum* concessa, Summus Pontifex Pius X ad Insulas Philippinas extendit.

En tenor Indulti extensionis a Cardinali Merry del Val, a Secretis Status, « Ex Audientia SS.mi die 1 Ianuarii 1910 » exarati:

« SS.mus D. N. Pius Div. Prov. Papa X, referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, de speciali benevolentia, ad Provinciam Ecclesiasticam Manilensem seu ad universam regionem Insularum Philippinarum extendere dignatus est privilegia Americae Latinae, per Litt. Apost. *Trans Oceanum*, die 17 Aprilis 1897, a sa. me. Leonis Papae XIII ad triginta annos concessa; ita tamen ut, quousque dicta privilegia pro America Latina perdurent, eodem tempore pro Insulis Philippinis vigeant, ut tum in America Latina tum in praefatis Insulis eadem sit privilegiorum duratio » [42].

---

sort varié. Elles ont presque complètement disparu dans certaines régions (les « charrúas » de l'Uruguay); de petits noyaux conservent encore des coutumes ancestrales (les « fueginos » et quelques tribus de l'Amazone). Parfois de larges groupes sont encore sans mélange. mais ils ont perdu leurs traditions et leur civilisation; leur condition est assez pénible. La grande partie des populations indigènes a été mêlée aux *populations européennes* et constitue la grande masse *métisse* de l Amérique latine, avec cependant prépondérance tantôt indienne (Mexique, Pérou, Bolivie), tantôt blanche (Argentine, Uruguay).

Les captifs *noirs* amenés du XVI[e] siècle à la primière moitié du XIX[e] siècle ont fourni une main-d'oeuvre abondante et bon marché. Ils sont nombreux au N.-E. et au S.-E. du Brésil, sur les côtes de la Colombie, au Venezuela, dans l'Équateur et dans la plupart des Antilles. Ils se sont largement mêlés aux indiens, aux métis et aux blancs, donnent ainsi origine aux « *mulatos* » et aux « *zambos* ». Il n'existe aucune sorte de discrimination, d'ordre juridique, raciale dans les États de l'Amérique latine ». Bilan du Monde, 1958-1959, I, p. 271.

[41] Ex Aud. SS.mi 16 Augusti 1898. Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide, vol. II, p. 357, nota 1., Romae 1907.

[42] A.A.S., Vol. II (1910) p. 220.

27. Quum triginta annorum temporis spatium in eo esset ut perficeretur, plurimi Americae Latinae Antistites a Sancta Sede expostularunt, ut privilegia in Litteris Apostolicis *Trans Oceanum* contenta iterum concederentur.

Summus Pontifex Pius XI iudicans et perpendens decursu temporis alia ex memoratis privilegiis vel immutata et abrogata alia vero, Codice Iuris Canonici promulgato, in ius commune transisse, rem Sacrae Congregationis Consistorialis diligenti examini subicendam voluit: interim, nonnullis tamen evidentioribus immutationibus perfectis, ut infra recensemus, gratiam prorogationis *ad biennium* concedendam esse censuit.

Ideoque S. C. Consistorialis die 8 aprilis 1927 Archiepiscopo Mexicano ita rescripsit:

« Ioseph Mora y del Rio, Archiepiscopus Mexicanus, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus, humiliter exponit:

Ss.mus D. Leo XIII per Litteras Apostolicas « Trans Oceanum » diei 18 aprilis anni 1897, abrogatis deletisque Auctoritate Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalium privilegiis quocumque nomine vel forma a Sancta Sede prius concessis, quamplurima privilegia pro omnibus Americae Latinae singulisque dioecesibus et ditionibus de Apostolicae potestatis plenitudine ad triginta annorum spatium concessit, quorum plura, temporis decursu, immutata vel abrogata sunt, vel in ius commune transierunt.

Nunc autem, tam nomine proprio quam omnium Archiepiscoporum et Episcoporum Reipublicae Mexicanae, humiliter petit ut privilegia quaedam, quae in Litteris « Trans Oceanum » inveniuntur, iterum concedantur, si ita in Domino S. T. expedire videbitur: nimirum *(omissis)*.

EX AUDIENTIA SS.MI 8 Apr. 1927

Inspectis specialibus circumstantiis in ditione Mexicana nunc concurrentibus pro gratia confirmationis et renovationis iuxta petita in favorem Oratorum, *ad biennium* ».

Pariter insequenti 22 die aprilis Administratori Apostolico SSmi Salvatoris in America Centrali respondit sequentibus Litteris:

« Infrascriptus Iosephus Alphonsus Belloso, Administrator Apostolicus S.mi Salvatoris, in America Centrali, Sede Vacante, ad

pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, efflagitat prorogationem privilegiorum Constitutionis *Trans Oceanum* quae quidem Constitutio explicit die decima octava mensis Aprilis anni currentis ».

EX AUDIENTIA SS.MI 22 aprilis 1927

« Pro gratia prorogationis *ad biennium*, ut in Mexicana ».

28. Ac tandem, S. Congregatio Consistorialis generali decreto, gratiam prorogationis *ad biennium* Leonianae Constitutionis iuxta sequentem formulam edixit:

« EX AUDIENTIA SS.MI 22 Apr. 1927

« Ss.mus Dominus Noster Pius Div. Prov. PP. XI, audita relatione infrascripti Sacrae huius Congregationis Consistorialis Adsessoris, benigne confirmare et ad biennium renovare dignatus est privilegia pro omnibus Americae Latinae singulisque dioecesibus et ditionibus quae in Litteris Apostolicis « Trans Oceanum » diei 18 aprilis anni 1897 continentur, sicuti tamen infra recensetur: (*omissis*) ».

29. Proposito dein dubio utrum ditiones in America Latina exstantes sed S. Congregationi de Propaganda Fide subiectae praefato decreto S. C. Consistorialis frui valerent an non, idem SS.mus Dominus « Ex Audientia diei 13 maii 1927 » respondendum iussit affirmative.

30. Nunc quaenam fuerit discrepantia inter Litteras *Trans Oceanum* et Litteras S. C. Consistorialis *SS.mus Dominus diei 22 aprilis 1927* ad biennium valituras dicam.

Immo, ut res eluceat, de verbo ad verbum singula capita Leonianae Constitutionis describam, statim unicuique capiti addens utrum integre an vel tantum in parte confirmatum et qua ratione immutatum fuerit [43].

Statim autem animadvertendum est *Trans Oceanum* quatuordecim, *SS.mus Dominus* duodecim paragraphis constare.

---

[43] Claritatis gratia monemus numero romano locum indicari quem singula privilegia in *Trans oceanum*, numero vero arabico locum quem in *SS.mus Dominus* eadem privilegia obtinent.

I. Ut electi Episcopi in Americae Latinae ditionibus commorantes, postquam promotionis litteras Apostolicas acceperint, nisi aliter in praefatis litteris praescriptum sit, a quocumque maluerint catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel Cathedralis Ecclesiae Canonicis, consecrationis munus accipere valeant.	1. Privilegium hoc iisdem verbis confirmatum et prorogatum.
II. Ut Concilii Provincialis celebratio ad duodecim annos differri possit, reservato Metropolitae iure illud frequentius, prout necessitas postulaverit, celebrandi, nisi aliter per Sedem Apostolicam postea ordinatum fuerit.	Hoc caput, quum vi canonis 283 C.J.C., quo prescribitur in singulis provinciis ecclesiasticis provinciale Concilium celebrandum esse vicesimo saltem quoque anno, naturam privilegii amisisse videatur, deest in Consistoriali Decreto.
III. Ut Episcopi Sacrum Chrisma, quod ex indico etiam, vero tamen balsami liquore fieri potest, et Olea Sacra conficere possint, iis sacerdotibus adstantibus qui adstare potuerint, et urgente necessitate, extra diem Coenae Domini.	2. Idem habetur.

IV. Ut adhiberi possint Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et peracta omni diligentia, nova vel recentiora Sacra Olea *haberi nequeant.*

3. Hoc caput, quamvis supervacaneum videretur attento canone 374 C.J.C. § 1: « Sacra Olea quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V in Coena Domini proxime superiore; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat », tamen, saltem ad signandos limites quos praeterire non liceret, integre in Decreto Consistoriali refertur.

V. Ut pro omnibus e solis regionibus seu loci, in quibus, magnae distantiae causa vel ob aliud grave impedimentum, perdifficile sit Parochis vel Missionariis ad Baptismum conferendum aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secum circumferre, Ordinarii, nomine Sanctae huius Sedis, concedere possint, Parochis et Missionariis supra dictis facultatem benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula, qua Missionarios in Peruvia apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit, quaeque in appendice ad Rituale Romanum legitur.

4. Hoc privilegium integre confirmatum.

VI. Ut si propter defectum temporis, improbamque defatigationem, aliisque gravibus de causis perdifficile sit omnes adhibere caeremonias pro Baptismo adultorum praescriptas, Parochi et Missionarii, de previo Ordinarii consensu, uti possint solis ritibus, qui in Constitutione Pauli III *Altitudo* diei 1 Iunii MDXXXVII designantur. Insuper ut in iisdem rerum adiunctis Ordinarii nomine Sanctae Sedis concedere valeant Parochis et Missionariis usum ordinis Baptismi parvulorum, onerata in usu huiusmodi facultatis eorumdem Ordinariorum conscientia super existentia gravis necessitatis.

5. Secunda pars huius capitis praescripto canonis 752 § 2: « Loci Ordinarius potest gravi et rationabili causa indulgere ut caeremoniae praescriptae pro baptismo infantium adhibeantur in baptismo adultorum » cedit; minime igitur illam Consistoriale Decretum refert.

VII. Ut in omnibus et singulis ditionibus Americae Latinae, nulla excepta, omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, quamdiu in praefatis ditionibus moram duxerint, et non alias, singulis annis die secunda Novembris seu die sequenti, iuxta rubricas Missalis Romani, qua nempe commemoratio omnium fidelium defunctorum ab Ecclesia universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, ita tamen ut unam tantum eleemosynam accipiant, videlicet pro prima

Res transit in ius commune vi canonis 806 § 1 C.J.C.

Missa dumtaxat, et in ea quantitate tantum, quae a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit; fructum autem medium secundae et tertiae Missae non peculiari quidem defuncto, sed in suffragium omnium fidelium defunctorum omnino applicent, ad normas Constitutionis Benedicti XIV Pontificis Maximi *Quod* expensis diei XXVI Augusti MDCCXLVIII.

VIII. Ut omnes fideles annuae Confessionis et Communionis praecepto satisfacere possint a dominica Septuagesimae usque ad octavam diem sollemnitatis Corporis Christi inclusive.

6. Attentis precibus Antistitum, praesertim Mexicanae Ditionis, privilegium hoc confirmatum fuit, et insuper, tempus ad praecepto Paschalis Communionis satisfaciendum, « ad festum SS.mi Cordis Jesu inclusive » exstensum fuit.

IX. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias et iubilaea, quae requirunt Confessionem, Comunionem et ieiunium, dummodo, servato ieiunio, si loco inhabitent ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit Confessarii copiam habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa quam primum poterunt, vel ad minus intra unum mensem.

7. Idem.

X. Ut Indi et Nigritae intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint.

8. Attento praescripto can. 1076 § 2, hoc caput ita immutatum habetur: « Ut Indi et Nigritae intra tertium consanguinitatis gradum matrimonium contrahere possint ».

Advertendum tamen est, opinionem generalem esse, nullam amplius distinctionem faciendam, sive in hoc capite sive in tribus sequentibus, inter Indos et Nigritas, ex una parte, et ceteros universos Americae Latinae incolas ex alia.

XI. Ut Indi et Nigritae quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo iis temporibus, quibus ab Ecclesia prohibentur nuptiae, pompae apparatum non adhibeant.

9. Novissima verba, prae oculis habito tenore canonis 1108 § 2, fuerunt immutata ut infra: « a nimia pompa abstineant ».

XII. Ne Indi et Nigritae ieiunare teneantur praterquam in feriis sextis Quadragesimae, in Sabbato Sancto, et in pervigilio Natalis D.N.I.C.

10. Attentis precibus, praesertim a Praesulibus Mexicanae Ditionis porrectis, lex ieiunii ulterius relaxata fuit, ita ut Indi et Nigritae ea tantum feriis sextis quadragesimae adstringerentur.

XIII. Ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere, seu solutione eleemosynae, uti possint indulto, quod Quadragesimale dicitur, et quo fideles respectivae dioecesis seu regionis ab Apostolica Sede donantur; ideoque carnibus, ovis

11. Pariter attentis praecibus, ab Episcopis Mexicanae Ditionis porrectis, S. Congregatio Concilii indulsit ut lex abstinentiae ab Indis et Nigritis tantum feriis sextis quadragesimae servaretur. Ideoque hoc caput ita fuit immutatum:

et lacticiniis vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis, exceptis quoad carnes diebus in superiori paragrapho XII notatis.

« Ut praeterea Indi et Nigritae absque ullo onere, seu solutione eleemosinae, uti possint indulto, quod Quadragesimale dicitur; ideoque carnibus vesci possint omnibus diebus ab Ecclesia vetitis, exceptis diebus in superiori paragrapho 10 notatis ».

XIV. Ut quandocumque in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, a sententiis pro tempore latis appellari contigerit, si prima sententia ab Episcopo lata fuerit, ad Metropolitanum; si vero prima sententia lata sit ab ipso Metropolitano, ad Ordinarium viciniorem absque alio Sedis Apostolicae rescripto appelletur: et si secunda sententia primae conformis fuerit, vim rei iudicatae obtineat, et exsecutioni per eum, qui eam tulerit, demandetur, quacumque appellatione non obstante; si vero illae duae sive ab Ordinario et Metropolitano, sive a Metropolitano et Ordinario viciniore latae, conformes non fuerint, tunc ad alterum Metropolitanum vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, viciniorem eiusdem provinciae appelletur, et duas ex ipsis tribus sententias conformes, quas vim rei iudicatae

Perpensis praescriptis juris communis et praesertim canonis 1594, hoc caput immutatum ut infra prostat:

12. « Un in causis tam criminalibus, quam aliis quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, quae in rem iudicialem non transierint, appellatio in tertia instantia fieri possit ad alterum Metropolitam vel Episcopum ei, a quo primo fuit lata sententia, viciniorem eiusdem provinciae, integra manente cuique litiganti facultate recurrendi ad Apostolicam Sedem, etiam amisso medio, sive ante sive post primam sententiam, servatis in ceteris iuris canonici praescriptis ».

habere volumus, is, qui postremo loco iudicaverit, exequatur, quacumque appellatione non obstante. Cum autem recursus ad Apostolicam Sedem, etiam omisso medio, sive ante sive post sententias iudicum inferiorum, semper integer manere debeat, ad normas iuris, in usu huius privilegii omnino servandae erunt sequentes conditiones: 1° Ut singulis in causis salva maneat cuique litigandi facultas ad hanc Apostolicam Sedem etiam post primam sententiam recurrendi; 2° Ut in singulis actibus expressa fiat Apostolicae delegationis mentio; 3° Ut causae maiores sint eidem Apostolicae Sedi reservatae ad normam sacri Concilii Tridentini; 4° Et quoad causas matrimoniales ea custodiantur, quae in Constitutione Benedicti XIV, cuius initium *Dei miseratione*, praestituta sunt.

31. Peracto biennio, praehabitisque consiliis Sacrarum Congregationum et Tribunalium Sacrae Romanae Curiae interesse habentium, quibus a S. Cong. Consistoriali pro materia ad unamquamque vel unumquodque spectante novum privilegiorum schema propositum fuerat, Pius XI die 30 aprilis 1929 Litteras Apostolicas dedit, quibus omnibus et singulis Ordinariis, sacerdotibus et christifidelibus dioecesium ac ditionum Americae Latinae privilegia ac facultates « ad proximos decem annos, ab harum Litterarum data computandos » tribuit, abrogatis deletisque auctoritate Apostolica omnibus et singulis Indiarum Occidentalium privilegiis quocumque nomine vel forma a Sancta Sede prius concessis.

32. Decretum Consistoriale haec omnia referens adprobatum fuit a Summo Pontifice Pio XI die 22 martii 1929 sicut nosse licet ex tabulario Sacrae Congregationis Consistorialis: « *Ex Audientia Sanctissimi diei 22 martii 1929*: SS.mus adprobavit decretum de facultatibus pro Episcopis Americae Latinae atque iussit ut opportunum *Breve Ap.licum* de iisdem exaretur ab officio competenti. C. Card. Perosi Secretarius ».

PIUS PP. XI AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Litteris Apostolicis sub anulo Piscatoris datis die XVIII m. Aprilis, an. MDCCCXCVII, rec. mem. Decessor Noster Leo Pp. XIII ad trentennium valitura Episcopis, presbyteris, christifidelibus Americae Latinae conspicua concessit privilegia, quae propterea transacto concessionis tempore nunc suo robore destituta sunt. Sed cum impensa, qua premimur, sollicitudo de Dominici gregis Nobis concrediti salute ad ea procuranda impellat Nos, quae in evidentem christifidelium utilitatem, feliciusque eorundem regimen noverimus redundare, privilegia memorata certo quodam modo renovanda existimavimus. At, ob iuris canonicis Codicis promulgationem et mutatas temporum rerumque condiciones, nonnullae desiderabantur immutationes in priscae concessionis tenore; ideoque novum schema privilegiorum, quae sunt nunc concedenda, Sacris Romanae Curiae Congregationibus, pro materia ad unamquamque spectante, propositum est atque ab eisdem recognitum. Nunc autem, audita praesertim dilecti filii Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis a Secretis Sacrae Congregationis Consistorialis re-

latione, exhibitas Nobis Episcoporum Americae Latinae preces ultro libenterque excipientes, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a praecedenti facultatum recensione illis, quae haud necessaria videbantur vel in iuris canonicis Codice iam continebantur, privilegiis ablatis, praesentium Litterarum tenore ad proximos decem annos, ab harum Litterarum data computandos, prorogamus facultates, quas omnibus et singulis dioecesium ac ditionum Americae Latinae Ordinariis, sacerdotibus et christifidelibus, ut infra, tribuimus. Earundem vero facultatum tenor sequens est:

1) Ordinarii locorum parochis vel missionariis, in regionibus seu locis in quibus ob magnam distantiam vel ob aliud impedimentum eisdem perdifficile sit, ex fontibus baptismalibus, ubi asservatur, desumere et secumferre aquam Sabbato Sancto et Pentecoste benedictam possunt facultatem concedere aquam baptismalem benedicendi ea breviori formula, quae, a rec. mem. Decessore Nostro Paulo III missionariis in Peruvia apud Indos concessa, nunc in Appendice Ritualis Romani legitur.

2) Parochi et missionarii, si propter temporis defectum improbamque defatigationem vel aliis gravibus de causis omnes adhibere pro baptismo adultorum praescriptas caeremonias haud facile valeant, solis ritibus qui in Constitutione rec. mem. Pauli Pp. III *Altitudo* die 1 m. Iunii an. MDXXXVII data designantur, uti licite poterunt, praevio tamen Ordinarii consensu.

3) Item Ordinarii locorum deputare possunt, ad Sacramentum Confirmationis administrandum, sacerdotes quantum fieri potest in aliqua dignitate ecclesiastica constitutos, vel munere Vicarii Foranei fungentes; nunquam vero simplices sacerdotes commorantes illis in locis in quibus praedictum Sacramentum administrandum erit; servata nova Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum *Instructione* pro simplice sacerdote ex Sedis Apostolicae delegatione Sacramentum Confirmationis administrante.

4) Iidem Ordinarii ad assistendum nuptiis iuxta formam a iure statutam delegare possunt sacerdotes, qui Missionum causa ad evangelizandos fideles vel ad aliud exercitium pietatis implendum in longinquas regiones, a parochiali aede dissitas, pergunt, iisdem Missionibus perdurantibus, absente Ordinario, vel parocho, vel Vicario cooperatore, atque iis servatis, quae,

prouti res ferat et loci ac temporis condiciones observari permittant, matrimonii celebrationi ad normam Codicis iuris canonici canonis 1919 et seq. praemitti debent; facta tamen huius Apostolici indulti expressa mentione in unoquoque casu et iugiter firmis sacrorum canonum praescriptionibus tum de iuribus parochi servandis tum de inscriptione in libris paroecialibus facienda.

5) Ordinarii pariter dispensare valent super matrimonialibus iuris dumtaxat ecclesiastici impedimentis, a quibus Sancta Sedes dispensare consuevit, exceptis proinde impedimentis, quae ex Sacris Ordinibus maioribus vel ex affinitate in linea recta consummato matrimonio proveniunt: excepto quoque ob rei gravitatem impedimento de quo in canone 1075 nn. 2, 3; exceptis denique mixtae religionis et cultus disparitatis impedimentis, nisi speciales a Suprema Sacra Congregatione Sancti Officii facultates obtentae fuerint.

Pariter veniam iisdem facimus decernendi atque declarandi legitimam prolem nupturientium, dummodo ipsa in adulterio ne sit concepta: facta tamen in unoquoque casu, etiam in concedendis dispensationibus, huius Apostolici Indulti expressa mentione.

6) Fidelibus autem matrimonium contrahentibus largimur ut quocumque anni tempore Nuptiarum benedictionem accipere possint, dummodo illis temporibus in quibus ab Ecclesia nuptiae prohibentur, a nimia pompa abstineant; cauto tamen ut, si extra Missam benedictio nuptialis concedatur, formula in appendice « de Matrimonio » Ritualis Romani adhibeatur.

7) Concedimus pariter ut Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra duos annos, adhiberi possint, dummodo ne sint corrupta et nova vel recentiora Sacra Olea, peracta omni diligentia, haberi nequeant.

8) Ordinarii permittere queunt sacerdotibus usum altaris portatilis, ita tamen ut huiusmodi usus sit tantum in fidelium bonum, atque illis in locis in quibus ecclesiae vel publica oratoria desint, aut paroecialis ecclesia sit longe distans, non vero in mari; dummodo celebrationis locus sit decens atque honestus, super petra sacra celebretur, et parochi ceterique sacerdotes, quibus haec facultas tribuetur, Sancti Evangelii explicatione vel catechesis traditione fideles Sacro adstantes instruant.

9) Ordinarii concedere possunt sacerdotibus facultatem celebrandi in navi sacrosanctum Missae Sacrificium, durante dumtaxat tempore itineris, dummodo locus, in quo Missa peragenda est, nihil indecens aut indecorum praeseferat, mare aut flumen sit adeo tranquillum, ut quodcumque e Calice effusionis Sacrarum Specierum periculum absit; atque alter sacerdos, superpelliceo indutus, si adsit, celebranti presbytero adsistat.

10) Omnibus autem Americae Latinae christifidelibus permittimus ut a dominica Septuagesimae usque ad festum Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli praecepto annuae Confessionis et Communionis satisfacere possint.

11) Iisdem christifidelibus largimur, si loca inhabitent ubi prorsus impossibile vel saltem admodum sit difficile ad confessarium accedere, ut lucrari queant Indulgentias ac Iubilaea, quae Confessionem, Communionem et ieiunium requirunt, dummodo, servato ieiunio, sint corde saltem contriti, addito firmo proposito admissa, quamprimum poterunt, confitendi.

12) Denique largimur ut in causis tam criminalibus, quam ceteris quibuscumque forum ecclesiasticum concernentibus, quae in rem iudicatam iam non transierint, fieri possit appellatio in tertia instantia ad alterum Metropolitam vel Episcopum eiusdem provinciae, viciniorem ei a quo primo fuit lata sententia; integra tamen manente facultate ad Apostolicam Sedem, ad iuris tramitem, recurrendi ».

33. Comparantes Indicem hunc cum praecedenti probe noverimus, imprimis, novo aptioreque ordine digestum fuisse. Etenim primo loco prostant privilegia quae administrationem sacramentorum: Baptismi 1) 2) Confirmationis 3) et Matrimonii 4) 5) 6) respiciunt: dein sequuntur privilegia circa Oleorum usum 7) Missae celebrationem super altare portatili 8) et in navi 9); tandem de tempore ad satisfaciendum praecepto communionis Paschalis 10) de conditionibus ad lucrandas Indulgentias 11); novissime autem de appellatione in tertia instantia 12) agitur.

34. Quamvis duodecim constet numeris sicut Decretum *SS.mus Dominus,* valde tamen ab illo discrepat.

Revera, singula privilegia considerantes facile cognoscemus: *alia,* ob immutatas locorum circumstantias, *omissa* seu suppressa

fuisse, scilicet: recipiendi Episcopalem consecrationem ab uno tantum Episcopo duobus vel tribus presbyteris assistentibus; conficiendi Sacrum Chrisma ex indico, adstantibus iis sacerdotibus qui adstare potuissent et extra diem Coenae Domini; pro indis et nigritis: Matrimonium contrahendi intra tertium consanguinitatis gradum; ieiunium et abstinentiam servandi feriis sextis quadragesimae tantum.

Alia, nonnullis tamen habitis immutationibus, *confirmata,* scilicet: aquam baptismalem benedicendi breviori formula 1); utendi pro baptismo adultorum solis ritibus a Paulo III designatis 2); benedictionem nuptialem quocunque anni tempore recipiendi, additis tamen verbis « cauto tamen ut, si benedictio nuptialis extra Missam concedatur, adhibeatur formula Ritualis Romani (in Appendice: de Matrimonio) 6); sacris Oleis antiquis utendi cum hac immutatione « ...non ultra duos annos » 7); de tempore ad satisfaciendum praecepto communionis Paschalis, sic novissimis verbis innovatis « ad festum SS. Apostolorum Petri ac Pauli » 10); de conditionibus ad Indulgentias lucrandas omissis in fine verbis « vel ad minus intra unum mensem » 11); de appellatione in tertia instantia, verbis magis modo loquendi Codicis Iuris Canonici accomodatis 12).

Alia denique nuper *addita,* scilicet: de administratione sacramenti Confirmationis per simplicem sacerdotem peragenda 3); de nuptiis adsistentia 4); de facultate dispensandi ab impedimentis matrimonialibus 5); de usu altaris portatilis 8); de celebratione Missae in navi 9). Nonnulla tamen ex his, ut in compertum habes, a Summis Pontificibus anteactis saeculis amplissima quidem forma pro temporum et locorum circumstantiis largita fuerant [44].

Tandem, animadvertendum est quod in *Litteris Apostolicis,* nulla amplius fit quaestio de « Indis et Nigritis »: qui unice et ipsi veniunt sub voce « christifideles » [45].

---

[44] Cfr. supra, p. 96, 103, 104, 107, etc.

[45] Perpendas, quaeso, aliquas ex animadversionibus quae tunc temporis, de denominatione « indi et nigritae » fiebant.

Ex Venetiola « si afferma che la dichiarazione autentica emanata dalla S. C. degli AA. EE. SS., il 24 maggio 1898, sopra la denominazione di *Indi e Negri,* risulta di fatto alquanto complicata, specie in questo popolo dove non esiste elemento indigeno separato, nè riesce facile distinguerlo, secondo il criterio contenuto in detta dichiarazione. Parrebbe quindi opportuno allargare alquanto detto criterio, per evitare nella pratica scrupoli.

La Costituzione « Trans Oceanum » del 18 aprile 1897, è stata sempre impraticabile nel Venezuela nei suoi articoli riferentisi a Indi e Negri, perchè

35. Indultum electis Episcopis a Pio IV die undecima augusti 1562 Apostolicis Litteris *Ex Supernae Providentia* concessum, ut illis liceret consecrationem episcopalem recipere « a quocumque maluerint catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente, accitis et assistentibus, si alii Episcopi assistentes absque gravi incommodo reperiri nequeant, duobus vel tribus presbyteris » Pius XI *Litteris Apostolicis* diei 30 aprilis 1929 minime confirmavit sicut in praecedenti paragrapho innuimus.

Iuste recteque, humillime dicam, Summus Ille Pontifex exigit. Etenim privilegium huiusmodi nullo amplius rationabili funda-

---

in questo paese non è opportuno entrare oggi in distinzioni di sangue, che esigerebbe tale applicazione.

Anticamente (nel tempo della Colonia) le classi erano distinte e, sebbene non mancassero reclami, ciascun colore si manteneva nel suo posto della scala sociale. Si avevano persino chiese distinte per gli uni e per gli altri. Potevano così tenersi separatamente anche i libri parrocchiali, per i bianchi, per i pardos e negri (schiavi). Però dopo la indipendenza, la fusione si impose, e le separazioni per il colore della pelle (sebbene sia a titolo favorevole) non sono in alcuna maniera tollerate.

E per questo che i privilegi per gli Indi e Negri della Cost. « Trans Oceanum » non si è qui potuto neppure menzionarli, nemmeno dopo la dichiarazione autentica circa il significato di essi termini, data dalla S. C. degli AA. EE. SS. il 24 maggio 1898.

D'altra parte, Indi puri non esistono in questo paese se non i residui di tribù indigene in stato selvaggio e in qualche piccola popolazione negli estremi della Repubblica; negri puri di recente provenienza africana non vi sono ».

Ex Columbia: « si osserva: ...in Colombia gli Indiani e i Negri, come li definisce la dichiarazione della S. C. degli AA. EE. SS. del 24 Maggio 1898, sono assai pochi, e i piccoli aggruppamenti di essi esistono nei territori di missione sotto la giurisdizione della S. C. di Propaganda. Vi sono è vero in alcune diocesi dei *negri,* ma questi sono già nazionalizzati e cattolici da più generazioni ».

Ex Brasilia: « I nativi dell'America Latina non vogliono essere chiamati indiani e figli di indiani, nè piace loro che si esamini la quantità di sangue indiano che qualcuno possa avere; ed essendo già molto mescolati, e siccome anche le ragioni per ottenere le facoltà pontificie militano a favore di tutti gli indigeni poveri, credo che a tutti i poveri nati e domiciliati nell'America Latina si potrebbero applicare tutti quei privilegi ».

« ... Relativamente ai Negri ed Indi, essi fanno questione di rinunziare ai privilegi che li facciano passare per negri ed indi. Tutti vogliono essere bianchi. Parlo di Rio e delle diverse diocesi che conosco ».

« ... In questa regione del Nord-Est del Brasile è sempre difficile sapere con certezza quali siano gli Indi e Negriti, di cui parla il « Trans Oceanum ».

« ... Credo opportuna la soppressione dei numeri X, XI, XII e XIII relativi ai *negri,* i quali per legge dell'abolizione degli schiavi passarono a godere sin dal 1888 tutti i diritti civili della nazione Brasiliana ».

Ex Insulis Philippinis: « ...oserei pregare, se fosse possibile, che la deno-

mento fulciri, facile erui potest ex frequentioribus et facilioribus itineribus et potissimum ex feliciter valde in melius immutatis Ecclesiae condicionibus in America Latina.

Quoad Episcoporum numerum, sufficiat animadvertere quot in praesens sint Ecclesiae Archiepiscopales et Episcopales, quot Vicariatus Apostolici quot insuper Praelaturae Nullius, quarum Antistites saepe saepius episcopali charactere condecorantur, sicut in prospectu infra exhibetur:

Ecclesiae Metropolitanae	88
Archidioecesis	1
Dioeceses	293
Praelaturae *Nullius*	59
Abbatiae *Nullius*	1
Administrationis Apostolica	1
Vicariatus Apostolici	48
Praefecturae Apostolicae	15
Ordinariatus Ritus Orientalis	2

Summa harum circumscriptionum numerum attingit 508, quarum 34 ad Insulas Philippinas pertinent [46].

36. Anno 1939, elapso decennio, attentis peculiaribus Ordinariorum instantiis, Sacra Consistorialis Congregatio SS.mo Domino Pio XII Summo Pontifici gratiam confirmationis et prorogationis facultatum « Litteris Apostolicis » largitarum de consilio Sacra-

---

minazione « Indi et Nigritae » venisse mutata in qualche altra equivalente (nativi, indigeni, ecc.) poichè quella denominazione è ritenuta in molte parti come umiliante.

La convenienza d'un Indulto unico e comune è suggerita, almeno per ciò che riguarda le Filippine, dalle seguenti considerazioni:

a) Si è osservato che fa un'impressione sgradevole nei Filippini la differenza che si fa tra gli europei ed i nativi.

b) E' da considerare inoltre che nelle Filippine, diversamente da quel che accade nell Argentina, ad es., nell'Uruguay e nelle città e centri importanti del Brasile, del Messico, ecc., l'elemento europeo ed americano è relativamente minimo. Nelle dette nazioni si può assicurare che nelle città e paesi si osserva dalla popolazione in generale, a cagione della grande emigrazione, l'Indulto concesso nel 1899 per l'America Latina, esteso poi alle Isole Filippine: rimanendo l'uso del privilegio « pro Indis » ristretto alle aziende (haciendas, fazendas) ed ai luoghi meno abitati, ove son quasi tutti indigeni. Qui invece la popolazione delle città e paesi è costituita in massima parte dai nativi stessi. L'esser quindi gli europei ed americani obbligati ad osservare una norma distinta, fa risaltare assai più che altrove la differenza ».

[46] Haec statistica data ex Tabulario Sacrae Congregationis Consistorialis desumpta sunt.

rum Congregationum de disciplina Sacramentorum, Concilii et Sacrorum Rituum necnon Sacrae Poenitentiariae, proposuit.

Pius XII « Ex Audientia SS.mi diei 22 Aprilis 1939 » gratiam confirmationis et renovationis « ad aliud decennium, in omnibus ut in praecedenti concessione, salva immutatione proposita a Sacra Congregatione de Sacramentis, quam SS.mus adprobavit », tribuit, addens insuper, quod exsecutionem spectat « Et fiat per Decretum Sacrae Congregationis Consistorialis ».

Fr. R. C. Cardinalis Rossi, *a Secretis*

37. Quaenam fuerit immutatio a Sacra Congregatione de disciplina Sacramentorum proposita, apparet in sequenti DECRETO [47].

DE SPECIALIBUS FACULTATIBUS ORDINARIIS AMERICAE LATINAE CONCESSIS.

Per Breve « Litteris Apostolicis » PII PP. XI f. r., die 30 Aprilis 1929 editum, peculiares facultates Ordinariis Americae Latinae, pro fidelium necessitatibus et locorum conditionibus, attributae fuerunt.

Cum vero praefatae facultates proxima die 30 Aprilis expiraturae sint, SS.mus Dominus Noster Pius div. prov. PP. XII, eas, iisdem perdurantibus adiunctis, ad decennium benigne prorogare dignatus est, in terminis praecedentis concessionis, hac dumtaxat modificatione inducta, scilicet in n. 3) memorati Brevis Apostolici, ubi dicitur: « Item Ordinarii locorum deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis administrandum... » legendum erit: « Item Ordinarii locorum, *secluso Vicario Generali sine sui Ordinarii loci speciali mandato,* deputare possunt ad Sacramentum Confirmationis administrandum... ».

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 28 Aprilis 1939.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis*
V. Santoro, *Adsessor*

---

[47] Acta Apostolicae Sedis. XXXI (1939) p. 224.

38. Decimo exeunte anno ab edito Decreto « *Per Breve Litteris Apostolicis* » Ordinarii Americae Latinae et Insularum Philippinarum ut privilegia, memorato Decreto concessa, adhuc prorogarentur postulaverunt. Pius XII, de consulto SS. Dicasteriorum pro materia ad unumquodque spectante, Consistoriali Decreto « *Conspicua privilegia* » diei 26 martii 1949 usque ad diem 31 Decembris 1959 valituro, memorata privilegia, *uno tamen excepto*, confirmavit.

Privilegium quod excidit, vi cuius derogabatur iuri Tribunalium Romanae Curiae decidendi in tertia instantia, novissimum locum in Breve *Litteris Apostolicis* occupabat. Attentis praesentibus circumstantiis quibus facillimus ex quacumque Orbis terrarum parte ad Romanam Curia patet accessus, opportune visum est amplius concessioni non esse locum.

Quaenam autem fuerit ratio qua decretum « Conspicua privilegia », datum die 26 martii 1949, vim suam decerneretur habere usque ad diem 31 decembris 1959 breviter dicam.

Negotiorum usus iam antea docuerat bonum fuisse si facultates *decennales*, uno eodemque tempore desinerent ac *quinquennales* quas scilicet Sacra Consistorialis Congregatio de mandato Summi Pontificis Americae Ordinariis in exhibenda Relatione super statu dioecesum concedere solet.

Prae oculis igitur habitis quae can. 340 § 2 C. J. C. statuit de quinquenniis fixis et statutis pro relatione exhibenda, ratione pariter habita de Facultatibus quinquennalibus quae conceduntur usque ad trigesimam primam diem anni pro exhibenda relatione a iure statuti, Summus Pontifex decrevit ut alternis quinquenniis uno eodemque tempore facultates decennales et quinquennales in posterum finem haberent.

39. Consistoriali Decreto *Conspicua privilegia* numero 3) Summus Pontifex Ordinariis locorum, saecluso tamen Vicario Generali sine sui Ordinarii loci speciali mandato, facultatem largitus est deputandi ad Sacramentum Confirmationis administrandum simplicem sacerdotem, servatis tamen nonnullis cautelis ibidem appositis.

Quum in iure can. 198 nomine *Ordinarii loci* intelligantur, nisi expresse excipiantur, praeter Abbatem vel Praelatum nullius et Vicarium Apostolicum, etiam Vicarius Generalis, Administrator Apostolicus et Praefectus Apostolicus, qui novissimi charactere episcopali generatim carent, dubium utrum iidem facultate confirmandi personaliter pollerent exortum est.

Quibus Summo Pontifici relatis Pius XII Ex Audientia diei

20 februarii 1950, de apostolica auctoritate benigne declarare dignatus est praefatos locorum Ordinarios, quamvis charactere episcopali destitutos, facultate administrandi Confirmationis sacramentum pollere, servata disciplina per Codicem Iuris Canonici inducta quoad Confirmationis administrationem a simplici sacerdote peragendam, iuxta peculiarem Instructionem S. C. de disciplina Sacramentorum (A.A.S., XXVII (1935) pp. 11 ss.).

Quid igitur de Vicario Generali qui absque sui loci Ordinarii speciali mandato haud valet aliis concedere facultatem sacramentum Confirmationis administrandi? Gaudet et ipse necne potestate confirmandi vi praesenti Indulti? Respondendum esse censeo affirmative de speciali tamen mandato, eoque tantum, sui loci Ordinarii.

40. De facultatibus et privilegiis Americae Latinae Ordinariis sacerdotibus et fidelibus Litteris Apostolicis *Trans Oceanum* concessis, ex Audientia SS.mi diei 1 ianuarii 1910 statutum fuit, ut eadem valerent pro insulis Philippinis, ita tamen ut quousque dicta privilegia perdurarent eodem tempore pro Insulis Philippinis vigerent, et tum in America Latina tum in praefatis Insulis eadem esset privilegiorum duratio.

Hoc Summi Pontificis salutare praeceptum Sacra Congregatio Consistorialis fideliter tenuit quotiescunque memorata privilegia, annis scilicet 1927, 1929, 1939, 1949, confirmata et, etsi partim immutata, prorogata fuerunt; et applicandum curavit qualibet vice omnia sollicite communicans sive cum Pontificio Administro sive cum Ordinariis Insularum Philippinarum.

Quum autem quidam opportunum censerent, si noviter Summo Pontifici res proponeretur, ut Ipse explicite iterum confirmare dignaretur privilegia Americae Latinae ab Eodem concessa eadem vigere, iisdemque terminis, pro Ordinariis sacerdotibus et christifidelibus Insularum Philippinarum, Pius XII de re certior effectus « Ex Audientia diei 20 februarii 1950 » respondit « Pro gratia et inseratur in titulo Decreti *Conspicua privilegia et pro Insulis Philippinis* ».

† Fr. A. J. Card. Piazza, *a Secretis,*

41. Ex eo quod decreta Consistorialia anno 1939 et 1949 edita, haud per Litteras Apostolicas in forma Brevis, iussu Summi Pontificis, expedita fuere, dubium exortum est utrum facultatibus et privilegiis Ordinariis, sacerdotibus et christifidelibus Americae Latinae memoratis Decretis in modum confirmationis et concessionis largitis, etiam Ordinarii, sacerdotes et christifideles Ditio-

num Sacrae Congregationi de Propaganda Fide subiectarum, participare possent et deberent an non.

Quamvis ad removendam dubitandi rationem sufficere censeretur modus agendi Sacrae Congregationis Consistorialis quae, unaquaque vice, cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide Indices, praedictis Decretis promulgatos, communicare non omisit, tutius tamen visum est rem totam Summo Pontifici referre. Quod exsecutum est die 6 maii 1950. Eodem tempore Summo Pontifici preces porrectae sunt ut, quatenus opus esset, dignaretur benigne sanare quoad praeteritum.

Summus Pontifex Pius XII Ex Audientia memoratae diei quod Pius XI Decessor die 22 aprilis 1927 decreverat ratum habuit et confirmavit simulque memorata Decreta viguisse et vigere etiam in illis territoriis Americae Latinae et Insularum Philippinarum S. C. de Propaganda Fide subiectis declarare dignatus est.

42. Nunc tandem agemus de novissimo Indice, iussu Summi Pontificis feliciter regnantis IOANNIS XXIII, Consistoriali Decreto « Privilegia et gratias » die 8 augusti anno 1959 edito, quo facultates edicuntur quas Idem Sanctissimus Dominus, consultis Eminentissimis Patribus Sacrorum Romanae Curiae Dicasteriorum, benigne confirmare et elargiri usque ad diem 31 decembris anni 1969 dignatus est.

Si indicem perspicias statim aliquid innovatum esse invenies, imprimisque patebit iterum duodecim numeris absolvi.

Attentis etenim Ordinariorum precibus, additum est privilegium, quod capite 10 recensetur, vi cuius conceditur facultas utendi in celebratione sacrosancti Missae sacrificii, loco petrae sacrae, *linteo cum reliquiis*. Tenor huius concessionis est sequens:

« 10) Ordinarii locorum sacerdotibus suae iurisdictioni obnoxiis, ubi viarum et curruum deest copia, facultatem concedere valent substituendi, loco altaris portatilis seu petrae sacrae, aliquod linteum ex lino vel cannabe confectum et ab Episcopo benedictum, in quo conditae sint Sanctorum Reliquiae ab eodem Episcopo recognitae, super quo iidem sacerdotes Missae sacrificium celebrare queant iis tantum in casibus, et onerata eorum conscientia, in quibus aut nulla ecclesia vel oratorium sive publicum sive privatum exstet, et valde incommodum sit lapideum altare secum in itinere transferre aut in promptu habere. Servatis de cetero servandis iuxta Rubricas, praesertim quoad tobaleas et corporale ».

Commodi gratia adnexum Indici est folium in quo, typis impressa, formula pro Lintei benedictione, Episcopo reservata, refertur.

Duo praeterea sunt minoris momenti immutationes: numero 4) ubi agitur de nuptiis assistentia, verba « absente Ordinario, vel parocho, vel vicario cooperatore » ad amovendum invaliditatis periculum, quod occurrere poterat si sacerdos delegatus unius vel alterius ex supranumeratis viris praesentiam ignorasset, omissa sunt; numero 11) tempus ad satisfacendum praecepto annuae paschalis communionis usque ad diem 16 mensis iulii prorogatum est. Tunc etenim christifideles in America Latina commorantes, in commemoratione B.M.V. de Monte Carmelo, templa turmatim frequentant.

43. Pauca super relata ad Facultates Decennales illustrandas sufficiant.

Ne existimes tamen Ordinarios Americae Latinae his tantum extraordinariis facultatibus in praesens potiri. Summi Pontifices in bonum fidelium plurimis aliis facultatibus impenso studio illos auxerunt, aptis instructis Indicibus seu Formulis: recolantur ad hoc praesertim *Index Facultatum Quinquennalium* a S. Congregatione Consistoriali editus et « *Formula Maior* » a S. Congregatione de Propaganda Fide promulgata. Sed haec novissima minime nostra refert.

44. Sollicitudo Romanorum Pontificum quantum saluti animarum reique catholicae profuerit apprime nosces uti perpendas numerum christifidelium Americae Latinae tertiam partem omnium catholicorum in orbe terrarum exstantium aequare [48].

45. Finem dicendi imponam nobilissimis verbis, quibus Pius XII in Encyclicis Litteris *Summi Pontificatus* usus est catholicae doctrinae laudes promeritas dicens, bonaque indigitans temporalia et spiritualia, quae homines ex qualibet gente, populo et natione illam sequentes facile adsecuti sunt, vel adsequentur.

« Mira huiusmodi doctrina non uno nomine ad religiosae civilisque rei progressionem dignissime contulit. Eius siquidem praecones, superni afflatus ardore incensi atque permoti, non modo rude solum arare atque excolere, omneque genus morbis mederi

---

[48] Notiones geographicas, demographicas, historicas etc. Americae Latinae habes in *Bilan du Monde*, I, pp. 270-280. Ex his quantum Ecclesia Catholica pro animarum salute a saeculo XV exeunte ad initium saeculi XIX impigre adlaboraverit - quod nostra plurimi interest - facile erui potest.

conati sunt, sed eo potissimum contenderunt ut sibi creditos animos ad excelsa divinaque prorsus erigerent, conformarent, eosque ad summa sanctitudinis fastigia impellerent, ubi omnia circum quaque quasi sub uno Dei obtutu cernantur. Monumenta iidem ac templa excitarunt, ex quibus luculenter patet ad quam elatum granditatis verticem christianae affulgens perfectionis species animos evehat; at praesertim homines, sapientes vel indoctos, potentes vel debiles, quasi animata Dei templa eiusdemque vitis, quae Christus est, palmites effecerunt. Sapientiae veteris ingenuarumque artium thesauros advenientibus aetatibus tradiderunt, at hoc imprimis enisi sunt, ut eas arcani illius aeternae sapientiae muneris participes redderent, quod homines, Dei sobolem caelesti gratia effectos, amico fraternoque foedere coniungat » [49].

Quae omnia vim suam habuisse ac habere et in America Latina neminem latet.

† J. Ferretto

[49] Acta Apostolicae Sedis, XXXI (1939) pp. 430-431.

JURISPRUDENTIA

SACRAE ROMANAE ROTAE ALIORUMQUE TRIBUNALIUM ECCLESIASTICORUM

SACRA ROMANA ROTA

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

(*De exclusione boni sacramenti et boni prolis*)

Sententia Definitiva diei 1 junii 1956

Species Facti. - Alvarus, centurio classiarius in Hispania sub regio imperio, cum, tempore quo immutatum est rei publicae regimen, suum dimisset munus, in insulam ex Balearibus Majorem concessit: ubi, Winifreda, muliere americana, cognita, vix non statim insano amore erga illam aestuavit, ab ea redamatus.

Erat vir summo loco natus, in una ex familiis Matritensibus, quae nobilitate originis, simul ac fidei integritate, pariter collustrantur; dum mulier, e matrimonio mixto orta, baptismum utique catholicum susceperat, sed christianam institutionem nullam: ita ut, parentes derelinquens in minore adhuc aetate constituta, saltatricum coetui se adscripserit, nomen peculiare in arte — uti dicere usuvenit — adsumens, ac notissimo tunc R. V., civili ritu, se coniunxerit: a quo, tamen, suscepto divortio, discesserat.

Cum, vero, inter Alvarum et Winifredam, de matrimonio ineundo pertractari coeperit, institit quidem vir ut celebratio juxta canonicam legem fieret, sed abnuit praefracte mulier, ethnicis prorsus suae vitae placitis atque institutis firmissime adhaerens: quorum gratia, vinculi indissolubilitatem abhorrens, ipsa, in vita coniugali, non familiae procreandae finem persequebatur, sed libidinis satiandae, per contubernium ad tempus, seu ad libitum, instauratum: quoadusque, scilicet, ardor mutuus non refrigesceret, atque communio vitae practice intolerabilis fieret.

Hisce freta praetensis, ne viro constitueret onera atque ligamina, quae ipsa repudiabat, imposuit mulier ut matrimonium per civilem ritum tantum celebraretur: quod, aegro utique animo ex parte viri, reapse factum est, ad municipium urbis N., in Gallia, die 7 januarii 1933.

Non autem abrenunciandum vir tenuit canonicae nuptiarum celebrationi: sive ratione fidei christianae, quam profitebatur, cuiusque praecepto, etsi sensibus raptus in mulierem pulcherrimam, parere volebat, sive ratione familiae paternae, a qua veluti reiectus fuerat propter tantum facinus patratum.

Unde, suavis pariterque instantis persuasionis opera cum muliere adhibita, ipsam ad consilium suum trahere tandem potuit.

Itaque, matrimonium celebratum est in Cathedrali Ecclesia Y., die 6 augusti 1934.

Non autem secundo exitu: siquidem, mulier, vitae coniugali ferendae nullimode apta, virum sat cito deseruit, ad pristinum libertatis regimen rediens, scaenae atque chorearum cultrix.

Proposuit exinde vir, libello dato Curiae M., die 24 martii 1953. actionem nullitatis vinculi ob exclusum a muliere bonum sacramenti et bonum prolis.

Et sententiam juxta vota suscepit die 8 februarii 1955. Appellante D. V., res ad H. A. T. delata est, et heic, citatis citandis, denuo dubium propositum est sub formula: « An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

In Jure. - Nihil aliud recolendum, praeter quam contenta in cann. 1013-1081-1086 C. J. C., qui ab AA. et a jurisprudentia S. Rotae pluries explicati atque illustrati sunt: quemadmodum a praeclara appellata sententia bene ostenditur.

In Facto. - In similibus, ante omnia inquiri solet de simulandi causa, quae gravis admodum appareat, et simulationem verisimilem faciat, idest certo quodam modo rationabilem, ideoque acceptabilem.

Ad praesens, simulandi causa non difficulter, actibus rimatis, in aperto venit.

Agitur namque de muliere, quae — sicut supra dictum est — in matrimonio mixto ortum habuit, cuiusque parentes divortio sejuncti fuerant. Pater, catholicus, qui infantem baptizandam curaverat, in posterum physicae tantummodo ipsius sustentationi providit, numquam de christiana eius institutione sollicitus. Eapropter puella ne cetera quidem initiationis christianae sacramenta suscepit quin imo, practice, nonnisi paganorum more adolevit, et quidem in regionibus illis Americae Sept., ubi a multis sustinetur, et ab ipsa publica lege, per matrimonium contrahi vinculum ad nutum solubile. Deponit, inter cetera, actor: « Desidererei far risultare il diverso criterio di un europeo e di un nordamericano su queste cose, relative al matrimonio, perchè qui in Europa si ammette, a volte, quel che chiamiamo una « relazione », o concubinato: cosa inconcepibile per un americano del Nord, perchè lì, se nasce un amore, all'amore si dà lo stato legale, sposando civilmente, e poi, quando i coniugi trovano che il matrimonio non è più per essi conveniente, divorziano, e non ammettono nè la parola nè il concetto di concubinato ».

Talia esse placita non quidem omnium, sed multorum, in regionibus illis, controvertendum non est: addatur, vero, per similia non equidem concubinatum destrui, sed ipsum matrimonium:

cuius subtantia ita subvertitur, ut de uno ente (quale est matrimonium in rerum natura conditum), totaliter aliud resultet, idque phantasticum, irreale, moraliter absurdum, rectae rationis dictaminibus repugnans, hominesque brutorum condicioni adaequans.

Malo fato, doctrinis hisce adhaerens, Winifreda, usque a vitae suae primordiis, prae oculis tenuit pessimum genitorum exemplum; dein, certo certius similia frequenter conspexit inter eos, qui munus saltantium in scaenis gerebant, in quorum consortio adolescentiam transegit.

Unde, mirum non est quod R. V., celeberrimo actori scaenico, jam per divortium maculato, nupserit, ac deinde ab eo, per divortium, seipsam sejunxerit.

Quid rationabilius atque acceptabilius, quam quod mulier ista, tali modo instituta, tali forma mentis praedita, relatis exemplis circumdata, praecedentibus jam ipsius suae vitae actibus confirmata, vinculi perpetuitatem ac jus procreandi detrectare potuerit, cum ab Alvaro in uxorem petita fuit? Contrarium, forte, aegerrime admitteretur!

Secundo, agendum erit de simulantis confessione. Quae superabunde eruitur, in casu, e judicialibus utriusque coniugis dictis, in quibus equidem periculum collusionis abesse videtur:

Retulit conventa veracitate omnimoda: « L'unica difficoltà, che si presentò, fu che io volevo soltanto un matrimonio civile, ed egli voleva sposarsi in chiesa, ma io respinsi la proposta di fare il matrimonio in chiesa, per molto tempo: io non vi credevo, ed egli sì...

Io conoscevo la mia vita e sapevo che, in qualsiasi momento, in cui il matrimonio non fosse più stato, per me, una cosa viva, io lo avrei troncato, e, per quel che si riferiva a me, questo non avrebbe significato nulla; ma, nei riguardi di lui, come cattolico, sarebbe stata una cosa seria ».

Propter hoc, disceptationes atque contentiones inter partes contigisse, pari sagacitate exponitur: « Egli credeva che un matrimonio era per sempre. Questo fu il punto in cui noi divergevamo.

Egli era sempre molto serio, quando parlava di questo, e credeva che io avrei cambiato modo di pensare, e non me ne sarei dispiaciuta. Io dissi che non era questione dei miei sentimenti, che io non volevo assumermi la responsabilità di metter lui in tale posizione, perchè io non consideravo il matrimonio al modo dei cattolici ».

De cetero, mulier amplissime ostendit voluntatis suae decreta numquam mutasse, etsi, pro bono pacis, ipsa tandem petitioni viri satisfecisset, celebrationi canonicae se subiiciens. Nec, tali

celebratione inita, disceptationibus terminum datum fuisse dicit: siquidem, vir filios procreare volebat, sed renuebat mulier ex praenuptiali constituto: « ... io non volevo figli — ipsa ait — e questo fu un altro argomento che fu discusso in famiglia ».

De quo, hanc exhibet rationem, quae nec coharentia, nec vi logica, positis falsis principiis, carere dicenda est: « Perchè io credo che alcune donne sono madri ideali, ed esse debbono avere figli, e credo che ve ne sono altre, che non sono tali, e queste non debbono aver figli... Io non sono affatto una donna di casa, e sento una grande responsabilità per le cose che fo, e non vorrei mai far venire al mondo un figlio, perchè non mi sentirei una buona madre.

Non credo che questa è la mia vocazione. Questa fu una cosa che io discussi molto energicamente con tutti loro ».

Et, interrogata a Judice: « Quando manifestò a lui per la prima volta il suo atteggiamento nei riguardi della procreazione dei figli? », respondit: « Quando sorse la questione del matrimonio in chiesa, perchè stavamo discutendo in generale il punto di vista cattolico e il mio ».

Sed, et momento non carent quae mulier, circa finem depositionis, refert de cautionibus, a se subscriptis, circa prolem universam catholice baptizandam atque educandam. Ad hoc, nempe, explicite interrogata, dixit: « Sì, firmai qualche cosa. Credo che dovetti firmare una carta, in cui dicevo che, nel caso si fossero avuti figli, questi dovevano essere allevati come cattolici ».

Et instanti ac sciscitanti adhuc Judici: « Questo provocò qualche divergenza fra lei e suo marito? », rotunde mulier: « No, come ho detto, a me non importava firmare carte, perchè non avevo intenzione di aver figli. Egli lo sentiva come una cosa molto importante. Io lo feci per lui, non per me stessa ».

Quod autem mulier ante nuptias declaraverat ac constituerat, id (velimus ne excidat!), nuptiis initis, adamussim ad exitum perduxit.

Constantissime, enim, marito prolem exquirenti restitit, remediis sterilitatis pertinaciter utens; insuper, biennio nondum expleto, vitae communis pertaesa, pro semper abivit. Porro, Judici ad rem percontanti: « Io decisi — respondit — che volevo lasciare l'isola, volevo tornare a dedicarmi alle cose, che m'interessavano personalmente, e agli studii, che egli non voleva. Egli voleva rimanere in patria.

Io sentivo che tutte le nostre relazioni erano terminate, e non c'intendemmo: questo è tutto...

Io penso che egli credeva che, se io avessi avuto delle vacanze, sarei tornata. Io gli scrissi dalla Francia, e gli dissi che ritenevo

inutile pensare a tornare, perchè sentivo che non era una vita, che io potevo menare, e che tale vita non era adatta per nessuno dei due ».

Quibus ex parte mulieris auditis, vix ut quid referatur oportet de iis quae actor, super eadem materia, coram Judice deposuit, nam viri dicta cum illis mulieris mirifice quadrant.

Testes non desunt, qui ex ipsa muliere notitiam de intentis et statutis hausisse tradunt, vel ante matrimonii celebrationem, vel postea, tempore autem insuspecto.

Inter quos, eminent Faustus S. Marianus U., actoris frater et Agustinus G., qui, tunc temporis medicus laicus, utriusque partis amicus, postea sacerdos factus est in Ordine Fratrum Minorum. Cuius testimonium sat simplex, sed simul perspicuum, hisce absolvitur verbis: « Prima che io mi facessi religioso, passeggiando con quei giovani a Palma di Majorca, domandai loro perchè non si sposassero, ed essa mi rispose: io non voglio sposarmi, perchè non voglio fare di Alvaro un infelice, dato che non potrebbe divorziare. Io non dissi niente altro ad essi, e nemmeno essi a me ».

In idem prorsus evincendum conspirat momentosa matris actoris depositio: quae equidem mulier, etsi scientia praenuptiali carens, stigmata, in dictis suis, eaque patentia, veracitatis omnimodae, et credibilitatis absolutae exhibet. Haec igitur notabilia habet:

« Credo che essa non accettò il matrimonio come indissolubile, e, infatti, dopo sposati, quando le si domandava perchè non voleva contrarre il matrimonio canonico, diceva che non voleva che Alvaro rimanesse vincolato, perchè, quanto a lei, la cerimonia ecclesiastica non le importava, perchè non vi credeva. Le parole da lei usate erano che non voleva che Alvaro si sentisse impegnato più di lei. Mio figlio voleva aver figli, ma essa si opponeva senz'altro ad averli, e non li ha avuti. Ignoro però se, nello sposarsi, essa impose tale condizione. Sentii dire, dopo che erano già sposati, che essa aveva posto come condizione, per sposarsi, di non aver figli e di non accettare l'indissolubilità, ma da lei non l'ho sentito dire... Mi fa molta meraviglia che mio figlio accettasse un matrimonio in tali condizioni, e non me lo so spiegare, ma ignoro anche se egli seppe tali condizioni al principio, o nel momento della celebrazione del matrimonio... io credo che essa accettò non per il matrimonio, ma perchè quella era la strada per entrare in relazione con la famiglia, e far piacere a mio figlio, e non togliergli il piacere d'essere in rapporti con la propria famiglia... Ignoro se essa escluse l'indissolubilità, ma, nel rispondere a questa domanda, mi attengo a quanto ho detto più sopra su questo punto, e che io venni a sa-

pere da una mia cugina, che viveva a Majorca, era in rapporti con essi, ed insisteva molto affinchè si sposassero in chiesa, allo scopo di normalizzare le relazioni di lui con la mia famiglia ».

Hunc non esse sermonem illius, qui assumptis actoris indebite favendi sibi proposuit, tam, ex ipsa expositorum natura, patet, ut dubium rationabile superesse non possit.

Sed simul in propatulo est actoris matrem, tempore certissime insuspecto, de attentatis reae conventae in bonum sacramenti et in bonum prolis edoctam fuisse: de quo, sine amplificatione vel detorsione ulla, unice compulsa a veritatis obsequio, perspicuum testimonium offert, quod audivimus: fontes ac tempus informationis suae apprime distinguendo, et omnia ac singula accurate exponendo.

Tandem circumstantias praenuptiales et postnuptiales probationem fulcire, in casu, ambigi omnino non potest.

Obstitit enim mulier, quantum potuit, sacramentali celebrationi — ut amplissime exposuimus — non quia fidem amiserat (si unquam fidem susceperat!), sed praecise quia matrimonii christiani essentiam respuebat. Quod in actis pacificum est.

Dein, se aptavit quidem, sed aegerrime, ac nulli ex placitis suis abrenuncians, nihilque, de constitutis adversus indissolubilitatem et prolem, quoquo modo retractans.

In vita conjugali, namque, reapse procreationi prolis restitit, eamque omni nisu vitavit, non obstante opposita voluntate mariti, quocum, de huiusmodi, non infrequenter altercata est.

Et cum, vitae domesticae ducendae absolutissime impar, vagis itineribus et artis choreographicae cultui anhelans, maritum ac coniugale tectum deserendum decrevit, neque preces neque suasiones adhibitae, de quibus passim in tabulis, eam ab arbitriis et impetibus suae fluxae libidinis demovere potuerunt.

Tales sunt saepe mulieres quae « in arte » vivunt quae unumqueque diem, usque ab infantia, carpere consueverunt, vitamque suam moderari juxta placitum et arbitrium uniuscuisque diei, divina et humana jura pessumdantes!

Remanet ut quid exponatur circa exceptionem a cl. Defensore vinculi deputato agitatam: quasi, nempe, Alvarus, constitutis a muliere consentiens, et ipse in bona matrimonii commisisset, ideoque, ut culpabilis impedimenti seu nullitatis causa, a Nostro foro eiici debuisset.

Edixerunt Patres Domini nedum, ex tabulis, de consensu et adhaesione Alvari statutis mulieris non constare, sed potius contrarii probationem profluisse. Ipse enim, pro viribus, iniquae mulieris voluntati restitit, sperans equidem, vel contra spem se,

post nuptias, mulierem ad bonam frugem esse reducturum. Nec, matrimonio inito, hanc spem dimisit, quin imo, praecise propter instantias et suasiones, ab eo adhibitas, scimus discidia et contentiones coniugalia ortum habuisse. Quapropter, Alvarum matrimonii nullitatem *directe ac dolose provocasse,* ipsa actorum evidentia credere vetat.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, ad dubium propositum:

« Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu: vetito tamen mulieri transitu ad alias nuptias, nisi coram Ordinario, vel eius delegato, juramento promiserit se, ad normam juris, esse consensum edituram ».

Petrus Mattioli, *ponens*
Boleslaus Filipiak
Emmanuel Bonet

TRIBUNAL QUEBECENSE-TRIFLUVIANENSE

Nullitatis matrimonii D.-H.

(*ex capite amentiae ex parte mulieris*)

Sententia Definitiva (diei 10 junii 1959)

Species Facti. - 1. - Die 23 septembris 1935, in quadam ecclesia paroeciali, matrimonium contraxerunt G. A. D. ac Y. H., ambo catholici. Aliquibus mensibus post matrimonium, mulier curas accipere debuit a psychiatro ac postea in nosocomium pro amentibus includi debuit circiter duobus annis. Post egressum mulieris a nosocomio, vir vitam communem, quam intolerabilem considerabat, resumere non voluit. Anno 1939, ille ad Curiam suae dioeceseos adiit, petens ut nullitas matrimonii sui exploraretur. Nullus tamen processus ei concessus fuit. Die 20 julii 1956, vir N. S. T., competenti ratione domicilii, libellum obtulit quo matrimonium suum nullitatis accusabat sub capite amentiae ex parte mulieris. Libello accepto ad normam juris, J. B. constitutus est curator conventae ab Archiepiscopo Quebecen., collatis consiliis cum Episcopo Trifluvianen. Illo justitiae Tribunalis sese remittente, contestatio litis peracta est die 14 martii 1957, sub sueta dubii formula: « An constet de matrimonii nullitate in casu? » — Hodie dubio concordato nobis respondendum est.

In Jure. - 2. - Cavet can. 1082 § 1: « Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos. » Talibus verbis, legislator determinat quaenam cognitio seu non ignorantia requiratur ut contrahens omnes obligationes matrimonii assumat, sicut legitur in *Acta S. Sedis,* vol. V, p. 554: « Ut enim contractus quivis validus sit (maxime si non unam tantum obligationem secumferat) non exigitur ut singula officia et obligationes cognoscant contrahentes, quae ex ipso contractu derivant, sed satis est ut voluntas contrahentium feratur in contractum universim sumptum, prout ab aliis frequentari consueverit ». Attamen, legislator, in tali canone, non tradidit nec tradere voluit regulam generalem, qua mensuraretur capacitas ad deliberandum et consentiendum, de qua agitur cum matrimonium nullitatis accusatur sub capite amentiae. Aliis verbis, in causis matrimonialibus, aliud est caput defectus cognitionis ad matrimonium contrahendum qualis invenitur in persona sana, aliud est caput defectus usus rationis, qualis invenitur in amente, ut statuitur in sententia rotali diei 7 decembris 1946, coram Wynen (S.R.R., vol. XXXVIII, dec. LVIII, pag. 572): « Cum defectu tamen cognitionis, qui ex impedito usu rationis habetur, non est confundendus ambitus necessariae cognitionis de qua can. 1082 § 1. Etsi enim ignorantia naturae matrimonii post pubertatem non praesumitur (can. 1082 § 2), nihilominus haec ignorantia aliquando habetur in hominibus mentis omnino sanae; et tunc nullitas matrimonii non provenit ex deficiente seu impedito usu rationis, sed ex defectu necessariae cognitionis de natura matrimonii. Quare unum caput non est confundendum cum altero capite ».

3. - Amentes sunt tales a nativitate, uti idiotae, imbecilles ac mente debiles, vel ob morbum adventitium.

Mente debiles incapaces considerantur matrimonialem consensum praestandi, non necessario quia carent cognitione requisita a can. 1082 § 1, sed quia discretione rationis non gaudent qua graves obligationes matrimonii aestimare queunt, quibus consequenter implicite consentire non possunt, ut perbelle docet Card. Gasparri (*De Matrimonio,* vol. II, p. 12, n. 783, an. 1932): « Proinde ut matrimonium ipso naturae jure valeat, utraque pars usu rationis ita pollere debet, ut quid sit matrimonium ejusdemque essentiales proprietates satis intelligere valeat..., secus patet neque explicitum neque implicitum consensum habere posse ».

Aliter res sese habet in iis qui morbo mentali adventitio labo-

rant. Nam in illis non tam agitur de carentia quam de perturbatione cognitionis, ac concomitanter de defectu libertatis. « Dans la schizophrénie en évolution, comme dans les psychoses délirantes chroniques, ce qui nous intéresse..., — scribit psychiater Joannes Delâge —, c'est le désaccord avec la réalité, le désordre de la vie psychique, l'alteration du système de la réalité, qui déterminent un bouleversement permanent des rapports intellectuels, affectifs et sociaux de la personnalité attaquée, avec autrui et le réel... Et il ne faut pas oublier que cette réalité faussée, déformée, garde beaucoup de points d'insertion avec la réalité ». (*Laval Médical*, vol. 27, n. 3, mars 1959, pag. 31, pag. 29).

4. - Cum amentia sit morbus mentalis, ad peritos pertinet determinare ejus existentiam ac gravitatem, i. e. ejus influxum in intellectum et voluntatem. Et licet periti non sint nisi consiliarii judicis, ab eorum sententia, praesertim concordi, non recedat judex nisi propter gravissimas rationes: « Verum est judicem non teneri peritorum deductionibus et conclusionibus, praesertim si cum judicialibus tabulis non plene cohaereant. In re autem psychologica facilis errandi aperitur via et multis arbitriis materia subjecta esse potest. Attamen e concordibus peritorum conclusionibus, eorum praesertim qui peritiae vere conspicuae christianum sensum conjungant, non abscedet judex *nisi propter gravissima argumenta* ». (Sententia rotalis coram Felici, diei 3 dec. 1957. — *Monitor Ecclesiasticus*, Fasc. I. an. 1958, p. 50). In altera coram Jullien (*S.R.R.*, vol. XXXIX, dec. L, p. 399, n. 4), idem dicitur: « Jamvero quidquid medicorum est, tractent medici, ideoque lex in ejusmodi causis requirit suffragium peritorum qui infirmum, si casus ferat, ejusque acta quae amentiae suspicionem ingerunt, secundum artis praecepta, examinent: atque jubet ut testes audiri peritos qui infirmum antea visitaverint (can. 1982). Judex autem peritorum conclusionibus tunc tantum cogitur, cum sibi comprobatae videntur (can. 1084 §1). Minus tamen prudenter contradiceret artium salutarium cultoribus, si hi unanimiter docent infirmitatem aliquam in determinato evolutionis gradu, qui certis indiciis manifestetur, congruenter usum rationis et libertatis auferre ». Ut nullitas matrimonii declarari possit, requiritur et sufficit, juxta constantem ecclesiasticam jurisprudentiam, ut periti probent, ex certis indiciis, quod contrahens, tempore matrimonii, gravi morbo mentali, in plena evolutione, laborabat. Parvi tamen interest si periti non concordent quoad diagnosim morbi. (Cf. Coram Wynen, die 21 decembris 1937, vol. XXIX, dec. LXXVII).

5. - Intervallum lucidum sumi potest ut perfecta restitutio ad sanitatem mentis, i. e., ut perfecta et completa sanatio morbi mentalis, vel ut partialis restitutio ad sanitatem mentalem, quatenus contrahens aliquo usu rationis gaudet, non obstante existentia gravis morbi mentalis. Quando agitur de morbo mentali chronico, scilicet insanabili ac desperato, vix loqui possumus de perfecta ejus sanatione. Si vero contrahens aliquem usum rationis habeat, non obstante existentia gravis morbi mentalis, matrimonium adhuc nullum praesumitur. In tali sensu scribere potuit Card. Gasparri: « Cum vero hodie plures gravesque medici putent amentem, maxime ab infantia, ne in lucido quidem intervallo esse compotem sui, ita ut in ipso lucido intervallo sit quaedam latens amentia... sequitur nec matrimonii validitatem, in lucido intervallo initi, extra dubium esse et potius praesumi defectum consensus, donec contrarium aperte probetur ». (*op. cit.*, p. 15, n. 785).

6. - In Facto. - Causa nobis subjecta difficultatibus non carebat, quia matrimonium a 24 annis jam elapsis contractum fuerat. Ideo Tribunal omni cum cura procedit. Non solum ipsam conventam examinatam a perito in arte psychiatrica, medico B. R., habuit, ac illam interrogatam habuit, sed etiam peritiam rogavit a duobus aliis psychiatris, V. P. et M. A., iis transmissis observationibus prioris periti, omissis vero ejus conclusionibus.

7. - Sequentia notat peritus qui conventam examinavit die 26 junii 1958:

Pauvreté de communication et réticence: « En somme on pouvait se faire une idée de la personne plus par ce qu'elle ne disait pas (mais laissait ainsi sous-entendre) que par ce qu'elle disait ».

Grandiosité: « Pour elle, semble-t-il, tout ce qu'elle touche est parfait mais cesse de l'être quand distinct d'elle-même. Ainsi le monde extérieur est mesuré à son échelle et non pas mesuré objectivement ». Et addit peritus: « A part sa réticence, sa grandiosité, la plus grande caractéristique de cette femme, c'est peut-être que elle demeure constamment sur la défensive. J'entends par là que elle excelle à cacher, à atténuer, à minimiser des manifestations susceptibles d'être jugées par les autres comme pathologiques. »

Sic concludit: « A mon avis, madame D. est présentement psychotique parce qu'elle ne peut percevoir le monde extérieur tel qu'il est. Je dirais qu'il s'agit d'une schizophrène forme paranoïde. Mais je comprends qu'un autre psychiâtre pourrait avoir recours au terme paranoïa pour étiqueter cette même condition de psy-

chose ». « L'examen psychiatrique récent a démontré pour moi qu'il s'agissait d'un vieux cas de schizophrénie ».

8. - In actis sunt epistolae quas pars conventa scripsit ad virum ab anno 1946 ad annum 1947. Peritus M. A. illas subtiliter despexit, et affirmat: « In questi scritti spontanei compaiono chiaramente dei disturbi psicopatologici caratteristici:

— dissociazione del pensiero che in certi punti arriva quasi alla « scucitezza »;

— disturbi dell'affettività, o delle sue espressioni;

— idee deliranti, ora intuibili, ora chiaramente esposte; idee che, per quello che sappiamo, devono essere considerate « primarie »; non dovute cioé nè a interpretazioni nè a particolari stati affettivi, nè a debolezza di giudizio.

Infine la dissimulazione di idee deliranti; dissimulazione tuttavia insufficiente perchè a tratti (e lo abbiamo mostrato) la p. si tradisce più o meno completamente. A questo proposito vorremmo far notare che anche la risposte all'interrogatorio date della H. nel giugno 57 sono indicative ».

Eadem ergo symptomata morbi mentalis detexit peritus A. ac peritus R. quando iste examinavit partem conventam, sed medio diverso, scilicet ex epistolis conventae, ut ipse notat. Et concludit: « A noi sembra chiaro che la diagnosi clinica da porre nel caso in questione sia di « schizoprenia ». Peritus G. P. diagnosim paranoiae tulit, sed addit: « En psychiatrie, nous avons des cadres. Une maladie peut être sur la frontière entre deux syndrômes... D'ailleurs que ce diagnostic soit une paranoïa ou une schizophrénie, cela n'a pas d'importance pour l'atteinte à la responsabilité ». Quod concordat cum expositis in jure.

9. - Conventa curata fuit primo a medico H. B. et postea a psychiatro A. P. Sunt in actis documenta ab illis medicis subsignata, Medicus H. B. mortuus est et ideo interrogari non potuit. Psychiater A. P. nil aliud quam id quod declaratur in documentis jam habitis pandere potuisset. Unde non inductus est ad comparendum. Tandem curata est mulier primo in valetudinario aliquo, a die 22 mensis februarii 1938 usque ad diem 18 martii ejusdem anni, ac in quodam nosocomio pro amentibus, a mense martio 1938 usque ad mensem decembrem 1940.

Consideratis documentis habitis, scribit peritus M. A.: « Praticamente, eccetto per le psicosi fondabili su basi somatiche e per la schizofrenia, la paziente sarebbe stata affetta da tutte le malattie mentali possibili ed immaginabili: dalla debolezza mentale alla

isteria, dalla psiconeurosi con idee deliranti, agli stati distimici ciclici, dal delirio interpretativo alla personalità psicopatica ». Ideo affirmationes medicorum a curatione accipit pertitus ut descriptiones symptomatum, non ut veram diagnosim morbi mentalis. Symptomata illa, juxta peritum A. sicut juxta peritum B. R., manifestabant existentiam schizophreniae.

10. - Non est hic immorandum super signis gravis morbi mentalis quae conventa manifestavit in praedictis nosocomiis, nisi forsan ad solvendam difficultatem quam posuit diligens vinculi Defensor. Scribit enim medicus G. L.: « Nous n'avons pas observé des idées délirantes chez Mme D., lors de son séjour ici ». Evidenter medicus L. non attente consideravit diarium clinicum nosocomii, in quo legitur, juxta peritum B. R.: « Interprétations délirantes ». Nobis potius inquirendum manet invenire quando conventa signa evidentia gravis morbi mentalis antea manifestavit.

Scribit medicus G. L. jam citatus: « La maladie mentale de Mme D. remontait à 2 ans avant son hospitalisation ». Evidenter mentionem facit examinis psychiatrici conventae peracti antea a medico A. P. Jamvero in uno documento indicatur quod iste vidit conventam die 29 februarii 1936, licet addatur: « Onze mois après le mariage », dum in alio documento, dicitur quod illam vidit prima vice, die 29 julii ejusdem anni. Quod verius videtur. Postea medicus adhuc conventam visitavit die 28 augusti, ac diebus 9 et 21 septembris 1936. Scribit: « Mon impression d'alors a donc été que j'avais affaire à une débilité mentale avec interprétations délirantes à tendances paranoïaques ». Super talem diagnosim, quam scientifice rejicit, notat peritus M. A.: « Se poi riflettiamo alla diagnosi di « debolezza mentale » posta nel 1936, comprendiamo come essa doveva servire, al medico che la fece, a comprendere l'incongruità dei discorsi, del delirio, del comportamento della malata ». Unde ex testimonio periti in arte psychiatrica edocemur quod conventa amentia conclamata afficiebatur mense julio 1936, i. e., decem mensibus post matrimonium. Sed ex actis scimus quod conventa signa talis amentiae antea manifestaverat. Scribit actor: « J'ai retardé pour voir le docteur P. car elle ne voulait voir aucun médecin, car elle disait que c'était moi qui étais malade ». Et habetur documentum medici H. B. in quo legitur: « J'ai été appelé chez Madame G. D. à l'automne 1935, pour un mal de tête. Par la suite, j'ai constaté que ce mal de tête était rebelle à toute médication, et j'ai conseillé de consulter le docteur A. P., neuro-psychiâtre ».

« De ces faits, ait peritus B. R., on doit conclure que le docteur B. soupçonnait un désordre mental ». Addimus: cum suspicio medici B. confirmata fuerit a perito in arte psychiatrica, ille signa certa et indubia amentiae observavit. Affirmat peritus M. A.: « L'inizio patente della psicosi con disturbi gravi ed intensi risale al febbraio-marzo 1936 ».

Ex observationibus supra relatis, illud omnino admittendum est.

11. - Scimus quod mulier conventa valde dissimulabat, non solum ex peritis, sed ex testibus, uti v. g., ex V. D. et C. L. qui conventam cognoverunt certo post annum 1936, scilicet quando illa, testante medico, jam amentia conclamata laborabat. Deponit prior: « Avec nous, Madame se montrait gentille, aimable et ne faisait jamais allusion aux difficultés avec son mari ». Enarrat posterior: « Pour ma part, je n'ai jamais été témoin d'une scène entre les parties. ... Lorsque je l'ai connue, elle était gentille et paraissait normale, sauf lorsqu'elle faisait des crises de colère, alors sa figure paraissait hagarde et ses yeux plutôt fixes, ses lèvres tremblaient ». Nil ergo mirum est si peritus B. R. dicere potuerit: « Ce qui m'a frappé le plus dans l'étude de ce cas, c'est que malgré que beaucoup de faits aient été rapportés, il y en a beaucoup qui ne l'ont pas été ».

Adsunt tamen facta inusitata, portentosa, incomprehensibilia, uti notat peritus M. A., quae evenerunt tempore matrimonii. Talia facta non solum enarrantur ab actore, sed probata manent ex testibus.

Scribit actor: « Après que notre foyer fût organisé, mon épouse venait au devant de moi le midi et le soir avec un large sourire, si bien que les voisins se disaient: Voyez quel couple heureux que celui-là.

Or, dès que nous arrivions sur le seuil de la porte, elle entrait la première et me sautait dans la figure en m'égratignant et me brisant la pipe dans la bouche ou en écrasant le cigare que je fumais. Dans cette colère, elle me disait que j'avais flirté avec une fille ou *que j'aimais mieux mes parents qu'elle-même* ». Frater conventae, qui nil contra normam in ea percepit, ut dicit vel cogitare vult, sequentia tamen deponit: « J'ai entendu dire par ma soeur que le beau-père et la belle-mère essayaient de conduire dans la maison de M. D. » Soror actoris, Anna, ex altera parte ait: « Je ne l'ai pas rencontrée souvent après le mariage ... Elle critiquait sur tout ce que mon frère achetait pour meubler le

logis; c'est mon frère qui m'a rapporté cela. Elle n'était jamais contente: pourtant c'est elle qui avait choisi ces articles de ménage. A cause de ces critiques, on se privat d'aller la visiter pour éviter des chicanes. *Mon frère nous avait demandé cela* ».

Ex quo concludere possumus quod immediate post matrimonium conventa, ut scribit actor, consanguineos ejus jam sibi offensos habebat.

Adhuc deponit actor: « Le jour des noces, pendant le repas et la réception, mon épouse me suivait partout. Je ne pouvais faire un mouvement pour parler à quelqu'un sans qu'elle soit là pour épier et me demandait: « Qu'est-ce qu'il t'a dit ? » Confirmat soror ejus: « Le jour du mariage, Yvonne semblait inquiète et scrutait tout. Elle se tenait avec son mari mais on voyait que son esprit était ailleurs ».

Testes de auditu confirmant alia facta relata ab actore: « La veille du mariage, Melle H. a arraché brusquement les décorations de papier préparées à la maison des H. ». (Anna, soror actoris). « Le soir des noces, elle a hésité à entrer dans la chambre nuptiale... Sans même ôter son chapeau, elle s'est jetée sur le lit et a fait une crise de larmes. Elle a reproché à G. d'avoir choisi un hôtel de campagne pour le voyage de noces, bien qu'auparavant, elle avait consenti à cela ». (Irena, soror actoris). Idem narrat alia soror actricis.

Elationem, vacuum internum, diffidentiam conventae observaverunt actor ac testes tum ante tum post matrimonium: « Je trouvais que ma future ne pouvait pas soutenir une conversatione. Elle n'avait aucune continuité dans la conversation. Je lui parlais et on aurait dit que son esprit était ailleurs ». (Actor). « Elle n'était pas expansive et ne nous faisait aucune confidence. Elle était beaucoup défiante ». (Soror actoris). « Devant nous, elle était était réticente, ne parlait pas beaucoup de peur de se compromettre ». (Alia soror). « Elle était bien jalouse, non seulement de son mari, mais de toutes les personnes qui l'entouraient. Quand une femme était près de son mari, elle la scrutait de façon continue et c'était remarquable. Elle faisait cela très habilement et avec un sourire... Je *me suis aperçue de cela un peu avant le mariage, mais je n'y ai pas porté trop d'attention.* Mais dès le début du mariage, cela me frappait ». (Soror actoris). « Ma future était orgueilleuse. Le soeur de M. L., Alice... disait: « Elle est orgueilleuse, elle est orgueilleuse ». En ces occasion, ma future se mettait à rire et était contente ». (Actor). Idem affirmat, licet aliis verbis, testis de scientia qui deponit de eis quae observavit ante

matrimonium: « C'était une personne plutôt autoritaire, colé-reuse » (C. L.) « Ma future m'a dit de M.lle L., qui venait la voir de temps en temps, quand j'étais là. Ma future disait que c'était sa seule amie ». (Actor). « Elle travaillait pour M.lle L. et n'avait personne pour sortir. M.lle L. m'avait demandé de sortir avec M.lle H. pour la distraire. Je suis sortie avec elle une ou deux fois. Elle est venue prendre le réveillon chez moi une fois ». (Domina A.).

Propinqui conventae illam ut perfecte sanam mente descri-bunt. Avunculus tamen ejus, C. S., deponit: « Y. était capricieuse même avant son mariage ». Testatur mater actoris: « La mère d'Y. m'a dit que quand sa fille demeurait à la maison paternelle et qu'elle faisait ses crises, ils récitaient le chapelet ou allaient chercher le curé ».

12. - Periti affirmant mulierem incapacem fuisse consensum matrimonialem praestandi ac suas conclusiones ex triplici argu-mento deducunt, scilicet ex natura morbi mentalis, ex modo quo conventa sese gessit tempore matrimonii, et tandem ex identitate symptomatum.

Primum argumentum. - « La prima (ragione) — scribit peritus M. A. — è che vi è un continuum clinicamente comprensibile e ra-zionale nello sviluppo della malattia della H. (che divenne grave nella primavera del 36, e che poi la condusse in ospedale psichia-trico). Poichè tali disturbi non insorsero con le caratteristiche dei sintomi psichici acuti, dovevano necessariamente avere dietro di sè un periodo in incubazione e di sviluppo non certo inferiore ai 6-7 mesi ». Idem, alio modo, affirmat peritus B. R.: « Il survient un moment pour le schizophrène où il décide de changer. Or ce changement n'a pas été observé chez cette patiente ». Peritus vero, G. P., in suo examine orali, dicit: « Onze mois après le ma-riage, elle était en plenie psychose. A cause de son évolution lente, la maladie remontait certainement à quelques années avant le mariage ».

Secundum argumentum. - « Le comportement de l'épouse, au jour des noces, ne semble pas normal non plus. Au fur et à mesure que le récit de la vie conjugale se développe, la conduite de cette femme mariée apparaît très ouvertement psychotique ». (Peritus B. R.). « Les faits arrivés à l'occasion du mariage, son attitude durant le voyage de noces, montrent que la maladie était déjà pleinement installée ». (Peritus G. P.). « . . .L'atteggiamento so-spettoso della H. il giorno stesso delle nozze e nei primi giorni dopo il matrimonio, le sue inquietudini, preoccupazioni, ostilità

verso i parenti del marito, sono documentate come contemporanee all'inizio della vita conjugale e quindi devono essere fatte risalire alla stessa fonte morbosa che poi provocherà i disturbi psichici più gravi, non essendo nè logico nè probabile ipotizzare, sulla stessa persona, due diverse malattie che ad epoca diversa provocassero uguali sintomi psicopathologici ». (Peritus M. A.).

Tertium argumentum. - « La description faite de madame D. par son mari équivaut à l'impression clinique de l'examen psychiatrique. En effet il est question « qu'elle se considérait toujours mieux que les autres ... très orgueilleuse de sa personne ... dans les nuages ... ne pouvait suivre une conversation ... elle me posait une question et avant même que je lui réponde elle m'en posait une autre ». (Peritus B. R.). Notandum est quod agitur de eis quae actor observavit ante matrimonium, quaeque corroborantur a testibus, uti supra ostendimus. Peritus M. A. idem argumentum quasi ad verbum evolvit: « Quando noi confrontiamo lo status che si ricava dalle osservazioni dello psichiatra il 26/6/58, noi constatiamo che le condizioni psichiche di allora sono simili a quelle che le testimonianze dicono essere della H. nel 1934 ». Non aliter sentit peritus G. P.: « Son attitude chez son employer avant son mariage — on la décrit comme susceptible, coléreuse, renfermée — a beaucoup de signification dans le contexte. Dans le contexte, ces symptômes prouvent bien que la maladie était déjà en pleine évolution ». Periti ergo concordanter affirmant conventam affectam fuisse, tempore matrimonii, gravi morbo in plena evolutione, ut deponit peritus M. A.: « Ripeto che io ho la certezza che la signora H. era affetta da schizofrinia *processuale* prima del matrimonio ». Quod sufficit ad ostendendum quod illa valide matrimonium contrahere nequibat (Cf. in Jure). Periti etiam accurate conclusiones suas demonstraverunt et illustraverunt. Quas conclusiones, ex certis praemissis deductas, Patres Judices in causa acceptandas esse declaraverunt, cum neque velint, neque valeant, ad normam juris expositi, evertere cautum et diligens judicium talium medicorum qui in sua arte sunt peritissimi, ut patet ex eorum relationibus, ac omni exceptione majores.

Fertur sententia pro matrimonii nullitate.

Datum Quebeci, in Sede Tribunalis Provincialis Quebecensis, die 10a junii 1959.

HENRICUS GRENIER, *Praeses et Ponens*
GEDEON PETIT
LUDOVICUS TACHÉ

L. + S. DOLLARDUS MERCIER, *Notarius substitutus*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

ERROR COMMUNIS ET POTESTAS DELEGATA AD ACTUM.

1. Ius circa suppletionem potestatis, sive iurisdictionis, sive assistendi matrimonio, sive dominativae, pergit esse obiectum animosae controversiae inter canonistas. Hoc iterum apparet ex ultimo fasciculo ephemeridum « *Periodica de re morali et canonica* », anni 1959 n. 3-4 [1], in quibus duo inserti sunt articuli qui hac de re agunt, scilicet: « *Error communis et delegatio ad matrimonium assistendum* », auctore P. C. Barry, S. J. et « *Error communis in actu assistendi matrimonio* », auctore I. Reed, S. J. Utriusque disceptationis indoles, finis et materia sic designari potest: conatus probandi quod doctrina de sufficientia sic dicti erroris *de iure* componi potest cum sententia, cui fere omnes canonistae firmiter adhaerent. Haec sententia est: etsi can. 209 absque distinctione — dico absque distinctione, i. e. sive agens reputetur potestate praeditus *ob officium*, cui haec potestas est adnexa, sive *ob delegationem*, sive *independenter* ab utroque seu simpliciter, quia aliud factum multos induxit in errorem — valeat etiam de potestate assistendi matrimonio, tamen invalida est assistentia sacerdotis, qui assistit ad *unum tantum* matrimonium, sive ad hoc determinatum matrimonium delegatus sed invalide, sive nullatenus delegatus, sed agens publice ac si possit assistere, se sistens in ecclesia publica coram multis.

Articulorum materia etiam sic proponi potest: conatus demontrandi quod ex doctrina de sufficientia sic dicti erroris communis *de iure*, qua admissa sequitur quod sacerdodos qui sedere coepit in sede confessionali in ecclesia publica et aperta, in quo duo homines tantum adsunt eumque vident, valide absolvit hos duos ad se accedentes, non sequitur quod sacerdos qui in ecclesia publica coram multis assistit determinato matrimonio, valide assistit, etsi, ut patet, huiusmodi publica assistentia coram multis, notabiliter magis sit factum quo per se causatur error communis et notabiliter magis sit error communis *in fundamento suo* existens, quam illud « sedere in sede confessionali », paucis praesentibus.

2. Ipsam quaestionem tractavi in libro meo, qui etiam in his articulis citatur. Ibi iam attentionem traxi ad hunc gravem de-

[1] Hoc est fasciculum compositum et publici iuris factum in honorem Rev.mi Patris Felicis Cappello, S. J. professoris emeriti apud Universitatem gregorianam et canonistae notissimi, occasione eius octogesimi anniversarii.

fectum cohaerentiae logicae, quae inhaeret doctrinae admittenti sufficientiam erroris *de iure*, et quam eius fautores optime vident, sed non possunt evitare. Ipsi proprie sic ratiocinantur: etsi assistentia sit factum magis publicum, quo facilius causatur error communis, quam sedere in sede confessionali, tenemus tamen hoc factum constituere errorem communem *de iure*, illud autem non; quia hoc ultimum, etsi logice sequitur, tamen non audemus admittere propter eius consequentias, quarum prima est quod practice ruit totum ius de necessitate potestatis ad valide assistendum, cann. 1094-1096 statutum.

Ego in libro citato tamquam viam rectam, qua evitatur defectus cohaerentiae et qua pervenitur ad doctrinam simplicem et logice cohaerentem statui: Ecclesia supplet in errore communi, i. e. in errore communi vere seu *de facto* existente. Necessitas negandi id quod logica necessitate sequitur evanescit omnino, si reiiciamus doctrinam de sufficientia errori *de iure*, quae est doctrina erronea et in hac materia (suppletionis) radix omnium malorum, quae hodie percipimus tam in doctrina quam in praxi [2].

3. Ex articulis apparet quod Barry et Reed minime parati sunt ad hanc solutionem amplectendam. Proponunt aliam sententiam, qua, salva doctrina de sufficientia erroris communis *de iure*, evanescit contradictio modo designata. Medulla huius sententiae sic breviter proponi potest: Ecclesia non supplet in *quolibet* errore communi; ut Ecclesia suppleat, non sufficit error communis (sive *iure* sive etiam *facto* existens), sed requiritur, ut errori communi co-

---

[2] Sat recenter S. Tumbas S. J. in *Palestra del Clero* (1958, n. 10, Maggio), nitens doctrinae de sufficientia erroris communis *de iure* declaravit validum esse matrimonium, cui assistit sacerdos qui, etsi agens in celebratione unius tantum matrimonii, assistit publice in ecclesia. Ad obiectionem: si hoc verum sit, abrogatum est ius cann. 1094-1096 contentum, ipse respondet: hoc non militare contra suam doctrinam, nam idem Legislator, qui dedit interpretationem authenticam anni 1952, (vide n. 23) potest etiam abrogare ius his canonibus statutum.

Anno 1959 in eodem periodico (n. 21 Novembre) Umberto da Ariense proponit casum quo parochus expectans multos poenitentes, sacerdotem hospitem, iurisdictione in dioecesi carentem, invitat ad adeundam ecclesiam et audiendum fidelium confessiones; nam Ecclesia supplet in errore communi de iure et hic error facillime causatur; sufficit sedere in sede confessionali. Auctor disputat de potestate huius sacerdotis valide absolvendi a casibus ab Ordinario loci reservatis, sed de cetero modus agendi proponitur tamquam ordinarius. Nullum verbum quo hic agendi modus vituperatur. — Merito Dom. Squillaci in n. 23 eiusdem periodici lectores monet de indole periculosa huiusmodi modi scribendi.

niunctum sit periculum gravis damni pro ipsa multitudine fidelium (pro ipso populo, de cuius errore agitur). Consequentia est: si sacerdos publice se sistat in sede confessionali, errore communi ducti omnes possunt eius uti potestate non vere habita et Ecclesia supplet; si sacerdos publice se sistat in presbyterio ecclesiae publicae, se accingens ad exquirendum et recipiendum contrahentium consensus, assistentia est invalida, nam error potest nocere nemini nisi his duobus ideoque Ecclesia non supplet. In hoc casu dici nequit quod multi alii potestate sacerdotis uti possunt, quam errore communi ei tribuunt. Natura celebrationis hoc excludit.

4. Clarum est quod, ut admittere possimus hanc quaestionis solutionem, non sufficit, ut ipsa reapse tollat difficultatem modo designatam. Requiritur insuper ut doctrina qua solutio nititur sit vera et non erronea et reiicienda ob elementa intrinseca. Nemo enim ignorat, quod etiam propositionibus et theoriis erroneis evitare possumus conclusiones logice sequentes. Quia omnes quaerimus veritatem, opus utile et nemini iniuriosum videtur crisi subiicere plura, quae in his articulis tractantur.

Sane, aliquando canonista inducitur in tentationem dubitandi de utilitate disceptationum scientificarum in materia canonica. Legimus in articulo Barry: « quidam canonistae nolunt agnoscere errorem communem *de iure* ut sufficientem, et requirunt errorem communem *de facto* ut Ecclesia suppleat. *Quicumque autem sit valor argumentorum* pro eorum sententia, non videtur esse dubium ullum sententiam, quae tenet errorem *de iure* sufficere, ad minus esse extrinsece probabilem et hodie tutam in praxi ». Assertio haec non leviter displicebit canonistis qui, sicut multi adhuc faciunt, propriam disciplinam in honore habent et extollunt tamquam veram *scientiam*. Verba enim citata proprie hoc significant: etiamsi rationes allatae pro aliqua sententia vere probant hanc sententiam, et rationes allatae pro sententia contraria apparent qualibet vi probandi destitutae (et hoc quandoque demonstrari potest), nihilominus res est dubia, et haec altera sententia est probabilis; ad hoc sufficit *numerus* virorum qui eam propugnant. Rationes non sunt considerandae, nam: *quicumque sit valor...* etc. Sed si veritas in re canonica statuatur maioritate votorum et tunc inevitabiliter votorum eorum qui altius clamant in libris et articulis (quae sunt quasi plateae pro vita scientifica), actum est de indole scientifica disciplinae nostrae. Omnia reducuntur ad eruditionem et artem supputandi.

5. Neque intelligo quomodo sententia *probabilis* seu *dubia* potest in hac materia esse tuta in praxi! Si nonnisi probabile sit seu dubium, utrum Ecclesia in tali casu suppleat, actus potestatis positus in errore communi *de iure* et non *de facto* exsistente, est dubie validus; matrimonium cui sacerdos adstitit est dubie validum [3]. Nam si circa exsistentiam casus in quo Ecclesia supplet, vigeat dubium, etiam circa suppletionem viget dubium, et proinde circa effectum suppletionis, i. e. circa remissionem peccatorum absolutione obtentam, circa validitatem matrimonii. In hoc casu matrimonium non potest considerari invalidum, quia ad hoc non sufficit *dubium*, sed requiritur ut *constet* de nullitate. Sed ex hoc non sequitur, quod matrimonium potest quoad omnia considerari validum. Stante dubio de validitate assistentiae, haec est graviter illicita. Et post factum si matrimonium dubium possit convalidari, non videtur licitum convaliditionem omittere, et contrahentes exponere periculo vivendi per totam vitam in matrimonio invalido, i. e. eos exponere periculo ponendi per totam vitam actus, qui obiective sunt fornicatio et non actus coniugales [4].

6. Cupiens probare *omnes* canonistas tenere, quod in casu quo agitur de exercitio potestatis restricto *ad unum actum tantum* haberi non potest error communis, Reed me enumerat inter auctores, qui tenent hanc sententiam. Refert ad librum meum: *Potestas ordinaria et delegata*, n. 161-163. Attamen, in fine huius n. 163 dico: « omnes auctores probati tenent: « suppletio potestatis delegatae ad actum ob errorem communem *vix* haberi potest ». Ex his meis verbis merito deducitur etiam me tenere hanc communem sententiam. Sed animadvertere nos oportet, quod dico et quod fere omnes hi auctores dicunt: *vix* haberi potest.

---

[3] Animadverte quod Ecclesia supplet in dubio (positivo et probabili) circa *possessionem potestatis* seu circa facultatem ponendi hunc actum potestatis; non autem in dubio circa existentiam erroris communis. Vide fusius: L. Bender, *Potestas ordinaria et delegata*, n. 173.

[4] Iam pluries notavi in diversis locis, quod in casu matrimonii dubie validi praesumptio can. 1014 statuta non tollit obligationem convalidandi *ad cautelam*. Recenter hoc invenio confirmatum a noto theologo Dom. Squillaci, qui de casu dubio scribit: « Nel foro esterno *in dubio standum est pro valore matrimonii*. Ma nel foro interno? Si tratta *de validitate sacramenti: de instauranda vita matrimoniali*, e mi pare che anche *post factum pars tutior eligenda est*. Ritengo che il parroco debba piutosto pensare alla convalidazione ». (*Palestra del Clero*, 1959, n. 22, p. 1228).

Hoc valere de quolibet sacerdote et etiam de contrahentibus, quos secundum adiuncta obligatio gravare potest, clarum est.

Hoc non idem ac: *non* haberi potest. Discrimen potest videri parvi momenti sub pluribus aspectibus, sed, ut mox patebit, est essentiale pro quaestione de qua hic disceptatur.

7. Quod *vix* haberi potest, aliquando haberi potest. Exemplum est hoc. Aliquis parochus, die dominica inter omnes missas, publice populo denuntiat feria quinta proxima celebrandum esse matrimonium, et se invitasse patrem Theodardum, cui ante suum discessum concessurus est facultatem assistendi ad hoc matrimonium, deinde omittit delegare; aut: parochus post similem denuntiationem qua denuntiavit se invitaturum esse et delegaturum aliquem patrem ex conventu capucinorum, superiori telephonice dicit: « faveas mittere patrem Antoninum; ego actu praesenti eum delego ad hoc matrimonium feria quinta celebrandum; faveas hoc ei communicare ». Superior autem intelligit Bernardinum, qui etiam est suus subditus et mittit eum. Nulli dubio obnoxium esse potest, quod circa potestatem assistendi huic matrimonio in huiusmodi sacerdote in utroque casu, viget error communis *de facto* existens, etsi agatur de uno solo matrimonio.

8. His verbis proprie designamus defectum quo laborat doctrina, quae in dictis articulis proponitur. Auctores loquuntur ac si solutio data conciliat doctrinam de sufficientia erroris *de iure* cum sententia communissima canonistarum (non exclusis iis, qui propugnant sufficientiam erroris *de iure*) circa suppletionem in casu, quo exercitium restringitur ad unum actum determinatum (vel paucos). Sed eorum conatus esset efficax solummodo, si haec sententia communissima revera admitteret absolutam impossibilitatem suppletionis in tali casu. Revera autem sententia communissima non admittit hanc *absolutam impossibilitatem*, sed solummodo admittit eius *raritatem*. Et hoc, quia *causae* quae inducere solent errorem communem in casu potestatis *exercendae ad actum tantum* non facile adsunt in praxi, praesertim relate ad matrimonium. Quod enim aliquis sacerdos est delegatus ad determinatum matrimonium rarissime antea publice denuntiatur [5].

---

[5] Sic etiam patet quod assertio Regatillo (*Theol. Mor. Summa*, III, n. 929) « percurrimus omnes sententias rotales ab a. 1909 ad a. 1943, et in omnibus nulla excepta declaratur nullum matrimonium, quoties defuit delegatio in casibus singularibus », nihil probat. Nam hae sententiae datae sunt, non quia defuit *delegatio in casu singulari*, sed quia in his casibus defuit *error communis*. Proprie quia casus, in quibus agitur de delegatione in casu singulari et simul habetur error communis vere existens sunt rarissimi et valde exceptionales, iam explicatur quod nulla causa hunc casum respicientem pervenit ad tribunal S. Rotae (et alia tribunalia).

9. Doctrina in dictis duobus articulis elaborata ducit ad sententiam, quae, in quantum scio, a nemine tenetur, quaeque certissime non est sententia communissima, scilicet quod absolute numquam Ecclesia supplet, si error communis restringatur *ad unum actum solum*. Iam haec ratio *a posteriori* graviter militat contra veritatem et valorem doctrinae, quam hi duo canonistae proponunt. De ea enim valet notissimum adagium: « qui nimis probat nihil probat ». Ratio ducit ad conclusionem certo falsam; ergo in ea committitur aliquis error.

10. Nunc exponenda est et crisi subiicienda ipsa doctrina. Barry et Reed hanc proponunt doctrinam. Ut Ecclesia suppleat, non requiritur ut error communis *actu* vigeat, sed sufficit sic dictus error *de iure;* sufficit ut positum sit *fundamentum* seu *causa,* quae nata est inducere errorem communem. Attamen, et haec est res noviter inventa, Ecclesia non supplet in *quolibet* errore communi (sive de *iure* sive *de facto*), sed requiritur, ut errori communi coniunctum sit periculum damni communis, eo quod adiuncta ita sunt, ut multi, errore communi ducti, exponantur periculo utendi potestate, quam sacerdos habere reputatur sed reapse non habet.

Non difficile est videre quod haec doctrina, quae revera salvat duas doctrinas, quae multis apparent contradictoriae, ducit ad sententiam, quod Ecclesia non supplet in errore communi etiam *actu* et *certissime* et *fortissime* existente [6], prout viget e. g. si parochus die dominica publice inter omnes missas suo popolo denuntiaverit feria quinta proxima matrimonio adstiturum esse patrem Antoninum ad hoc legitime delegatum. Sed haec conclusio in quantum scio a nemine tenetur, neque etiam aliquis invenitur canonista qui docendo ponit claram et concisam normam, e qua haec sententia sequitur.

Ipsa autem doctrina est canoni 209 contraria, sicut est etiam contraria doctrinae traditionali. Canonistae ut Ecclesia suppleat numquam exigunt plus quam *ipsum errorem communem;* numquam exigunt aliud elementum errori communi additum et ei coniunctum (periculum damni communis vel aliquid huius generis).

11. Sane, auctores non raro in tractatu de suppletione potestatis loquuntur de periculo damni communis, dicentes quod avertere hoc damnum a fidelibus est *finis* huius legis seu huius instituti iuridici. Sed hoc non est idem ac docere, quod ipsum periculum

---

[6] Vide supra n. 7.

damni communis est *elementum constitutivum casus*, in quo Ecclesia supplet.

Hic designamus errorem fundamentalem etiam principalem, quem committunt auctores duorum articulorum. Confundunt *finem* legis, cum *casu pro quo* lex aliquid statuit seu cum casu quem lex regit. Omittunt attendere ad celebre adagium: *finis legis non est lex.*

Nemo in dubium vocat quod finis legis can. 209 statutae et iam ab antiquissimis temporibus vigentis est: avertere a fidelibus damnum commune, quod certissime non raro secuturum est, si non vigeret ius de suppletione. Qui autem cum Reed et Barry ex hoc deducit ius: Ecclesia supplet dumtaxat, si praeter errorem communem insuper in casu concreto adsit periculum damni communis, peccat contra adagium: *finis legis non est lex.*

Recta interpretationis methodus est haec. Leges intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam. Porro, in can. 209 dicitur simpliciter: « in errore communi ». Canon non dicit « in errore communi qualificato seu coniuncto cum alia re, cum periculo damni communis ». Hoc periculum supponitur seu praesumitur adesse in casu de quo lex agit: exercitium potestatis in errore communi. Etiam in iure veteri traditionali vigente ante Codicem norma erat eadem: in errore communi Ecclesia supplet [7]. Sequitur: ubicumque habetur error communis, actu seu vere exsistens, Ecclesia supplet potestatem, circa quam habetur hic error communis. Finis autem huius instituti iuridici, finis, ob quem lex est statuta, est: avertere damnum quod saepe ex exercitio potestatis in huiusmodi errore communi sequitur. Quod hoc damnum saepe imminet, quoties habeatur error communis, fuit pro Legislatore ratio statuendi, applicatione normae depromptae e iure romano, hanc legem. Norma autem sic statuta est norma *generalis* et eius operatio non suspenditur in aliquo casu particulari aut in aliqua specie casuum, in quo vel in quibus periculum non existit.

13. Hic applicatur norma generalis canone 21 statuta: « leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent etiamsi in casu particulari periculum non adsit ». *Lex urget* sunt verba, quae non tantum respicunt leges *prohibentes* et leges *irritantes*, sed etiam leges simpliciter *ordinantes*, statuentes effectum iuridicum in fa-

---

[7] In hac re seu quantum ad verba « in errore communi » Codex plene et perfecte refert doctrinam et terminologiam traditionalem.

vorem subditorum, sicut est validitas actus, acquisitio potestatis, quod fieri potest etiam per modum suppletionis in ipso actus exercitio. Sensus verborum *lex urget etiamsi* est: lex efficaciter regit actus de quibus statuit aliquid; vi legis effectus sequitur, quoties ponatur actus, cui lex hunc effectum connectit; lex efficaciter regit actus et personas quas nominat, seu, ut aiunt, cadunt sub terminis legis, etiamsi in casu speciali applicatio legis non sit necessaria aut utilis ad finem legis consequendum. Ambitus legis dependet a *terminis* legis et a sensu verborum in lege adhibita (can. 18), independenter a fine ob quem lex est condita [8]. Legislator saepe condit legem determinatam, quia lex est utilis *in sua generalitate*. Fere quaelibet lex utpote norma generalis aliquando regit casus, in quibus legis observatio est fini legis indifferens; immo aliquando aliqualiter nociva. Est tamen doctrina pacifica et communissima, quod etiam in talibus casibus lex non amittit suam efficacitatem regendi hos casus, nisi nocumentum sit ita grave et exceptionale, ut merito applicetur adagium: cum gravi incommodo lex positiva non urget.

14. Reiicienda igitur est doctrina in his duobus articulis exposita et propugnata, qua docetur quod Ecclesia non supplet in *quolibet* errore communi, sed solummodo in tali errore communi, cui adiunctum est periculum damni communis. Hic habetur legis interpretatio restrictiva, ad quam faciendam nullus interpres privatus est competens.

15. Quae a duobus auctoribus afferruntur in favorem doctrinae noviter inventae eam revera non probant.

Iam notavimus quod ex eo quod haec nova doctrina necessaria est ad conciliandam sententiam de sufficientia erroris communis *de iure* et sententiam qua communiter tenetur quod non habetur suppletio si agatur de potestate delegata *ad unum actum dumtaxat* non sequitur hanc doctrinam esse veram. Nam praeprimis esset demonstrandum quod utraque sententia est vera. Secus inutilis fit conatus eas conciliandi. Porro, neutra est vera. Quod Ec-

---

[8] Erronee hic appellaretur ad verba can. 18: « recurrendum est ad finem legis ». Nam hic sermo est de recursu legis in casu, quo verba legis in textu et contextu considerata, admittant plures significationes proprias, inter quas tunc interpres eligere debet. Solummodo in hoc casu debet recurrere ad finem legis ut eligat illam significationem verborum propriam, quae a fine legis imponitur vel commendatur. In casu nostro autem non agitur de duabus significationibus verborum propriis, sed de additione ad verba canonis.

clesia *nunquam* supplet quoties agatur de exercitio potestatis pro uno actu tantum, in quantum scio, a nemine tenetur; fere omnes dicunt *vix*, quod significat quod casus non est exclusus, etsi erit rarissimus. Quod autem Ecclesia iam supplet in errore communi *de iure* a multis admittitur, sed etiam a multis negatur. Et secundum me et plures alios haec doctrina est erronea; ergo minime demonstrata [9].

16. Nova doctrina nullatenus necessaria est ad tollendam oppositionem inter doctrinam de errore communi et sententiam quod rarissime Ecclesia supplet in casu exercitii potestatis *pro uno actu* tantum, si acceptetur doctrina solide probata, qua tenetur quod, ut Ecclesia suppleat, requiritur error *de facto*. Hac doctrina admissa, evanescit quaelibet incohaerentia. Sequitur enim quod sacerdos, qui agit tamquam potestatem habens ad unum actum seu ad determinatum matrimonium, sive sit delegatus sed invalide, sive nullo modo delegatus sed simpliciter agens ac si est delegatus, *fere* semper invalide assistit, non autem semper. Et hoc non quia Ecclesia non supplet in quolibet casu, in quo vere viget error communis, sed quia in huiusmodi adiunctis fere numquam viget error communis (de facto). Admissa doctrina quae exigit errorem communem *de facto*, doctrina quae, concorditer cum verbis canonis, admittit suppletionem in *quolibet* errore communi, nullatenus du-

---

[9] Multi non cessant clamare et repetere quod sententia de sufficientia erroris *de iure* est communis et suggerunt quod sententia contraria est ita singularis, ut non mereatur attentionem. Omittamus nunc quod Cappello anno 1923 hanc (nostram) sententiam vocavit *communiorem*. (*De matrim.* 664). Sed hodie? Sententiam, quam ego semper strenue propugnavi, notissimus canonista G. Michiels anno 1959, in serie lectionum quas dedit in Universitate Pontificia Lateranensi non minus energice propugnavit. Eodem anno Dom. Squillaci, periodici *Palestra del Clero* assiduus collaborator, scribit: « Non discuto se questo (error communis *de iure*) possa dirsi errore commune; *ritengo di no* » (Pal. 1959, p 665). Notat insuper quod dantur auctores, qui merito docent sacerdotem scientem absolventem absque potestate (etsi Ecclesia suppleat), incurrere in censuram, can. 2366 statutam. Canonicus G. Rossini, optime notus, in *Perfice Munus* (1959, p. 90) casum quendam practicum solvit solutione quae supponit: « sedere in sede confessionali in Ecclesia publica » non sufficit, ut habeatur Ecclesiae suppletio Cognosco adhuc alios iuris canonici peritos Romae laborantes, qui reiiciunt doctrinam de errore *de iure*. Non omnes autem publice scribunt.

Inter eos autem qui computantur, ut sententia vocari possit communis multi sunt qui eam vocant *probabilem* seu *dubiam*, probabilitate quandoque mere ut aiunt exstrinseca. Assertio igitur quod haec sententia est communis accipienda est cum grano salis non exiguo.

cit ad consequentiam, quod tota legislatio severe et minutiose determinata, cann. 1094-1096 contenta, est practice abrogata. Hanc plenam suam retinet vim et utilitatem.

17. Quod canonistae tam veteres quam hodierni saepe loquuntur de periculo damni communis seu generalis, nihil probat in favorem doctrinae quam hi duo articuli proponunt. Agitur de fine legis seu de fine ob quem attingendum Legislator legem de suppletione condidit, et sustinere voluit. Qui tractat de aliquo instituto iuridico, finem huius instituti silentio praeterire vix potest nec solet. Cum autem lex lata ad praecavendum periculum generale etiam efficaciter regat casus, in quibus periculum non adest, ex eo quod canonistae in hac materia loquuntur de periculo damni communis, non sequitur quod ipsi tenent quod norma can. 209 tantummodo regit casus, in quibus praeter errorem communem etiam habetur hoc periculum.

Notandum insuper est quod tota doctrina de suppletione in casu quo agitur de potestate *delegata* olim erat dubia, iam relate ad potestatem iurisdictionis, sed praesertim relate ad potestatem assistendi matrimonio. Haec incertitudo maior erat ante Codicem quam sub Codice usque ad declarationem authenticam anni 1952. Nam sub iure veteri vigebat etiam controversia de necessitate tituli colorati, qui in casu potestatis non ordinariae saepe deest.

Conclusio.

18. Quae in his articulis recentibus scripta sunt a canonistis, qui sunt fautores sufficientiae erroris *de iure*, me confirmaverunt in meo iudicio, quo teneo hanc sententiam esse erroneam. Ipsi certo demonstraverunt, quod conatus conciliandi hanc sententiam cum sententia communissime recepta circa suppletionem in casu in quo agitur de uno solo actu (recepta etiam a fautoribus erroris *de iure*) hucusque non habuisse felicem exitum et probabiliter numquam habiturum esse hunc felicem exitum, quia doctrinae non sunt conciliabiles.

Corollarium

19. Rarissime vidi in doctrina canonica aliquam sententiam tam tenaciter et suggestive proclamatam, et insimul ita insufficienter rationibus probatam quam illam sententiam de sufficientia erroris communis *de iure*.

Rationes quinque adductas ad directe probandam sententiam Cappello proponit in suo libro *De poenitentia* [10]. Eas in aliis libris repetivit, quandoque aliqualiter reductas [11]. In suo compendio iuris canonici has rationes non ponit; tamen sententiam suam proponit ut certam. In editione prima sui libri *De matrimonio* de eadem sententia scribit: « sententia contraria est communior; haec autem (i. e. sua propria) longe verior est », implicite nos admonens, quod sententia eo quod est communior propter hoc non est verior aut vera. Iam pluries [12] demonstravimus omnes has quinque rationes facile refutari posse, et proinde carere qualibet vi probandi. Nullus canonista hucusque demonstravit me in aliqua parte meae ratiocinationis, qua probavi harum rationum insufficientiam, committere aliquem errorem [13].

20. Pauci proferunt rationem ex silentio S. Sedis, in specie Commissionis Pontificiae ad canones authentice interpretandos. Est haec: « si erronea esset sententia, quae admittit Ecclesiam iam supplere in errore communi *de iure*, S. Sedes iam locuta esset. Ipsa enim est largiter diffusa. Si esset falsa esset causa gravissimi damni » [14]. Hanc rationem esse debilissimam demonstrant facta in nostro mundo canonico optime nota. Etenim: tot dantur materiae, in quibus interpretatio authentica est vel erat urgentissima, et tamen per decennia S. Sedes non intervenit praebens certitudinem. E. g. quaestio de fundamento affinitatis, utrum scilicet affinitas oriatur ex solo matrimonio *rato* seu matrimonio *inter duos baptizatos*, an ex *quolibet* matrimonio valido. Non pauci docuerunt: ex solo matrimonio inter duos baptizatos [15]. Alii hoc docuerunt tamquam sententiam certam, alii plures tamquam practice vigentem ob dubium iuris (can. 15). Etiam postquam Legislator anno 1949 in textu iuris orientalis (Crebrae allatae, can. 68) adhibuit aliam et clariorem formulam, quae non admittit dubium, quidam non cessaverunt fovere dubium iuris [16]. Nonnisi anno 1957

---

[10] Cappello. *De poenitentia*. n. 490.

[11] Cappello. *De matrimonio*, n. 665.

[12] L. Bender. *Potestas ordinaria et delegata*, n. 160.

[13] Facilius est fovere et demonstrare indignationem, quia aliquis audet asserere rationes ab aliquo auctore allatas non habere valorem, quam indicare in qua ille, qui hoc audet, errat, si hic non tantum gratis asserit, sed datis rationibus demonstrat. Indicare autem errores procul dubio esset utile ad promovendam cognitionem veritatis canonicae, quae est finis laboris nostri.

[14] Ita Reed in citato articulo. Vide supra, n. 1.

[15] Vide opus citatum in nota 16. Insuper: L. Bender, *Impedimentum affinitatis* in *Ephem. Iur. Can.* 1949.

[16] L. Bender. *Normae generales de personis*, n. 211, nota 21.

